Oldenburg

CHRONICON REGUM NORVEGIÆ, OLIM IDIOMATE NORVEGICO CONSCRIPTUM:

Nunc autem primo Elegiacis Versibus latinè expositum

A

M. Halvardo Gunario Norvegio, in Collegio Aslojensi S. S. Theogiæ Lectore ac Archipresbytero.

DEDUCTA CONTINUA SERIE AB HARALDO HORFAGRIO sive Pulchricomo, Primo Norvegiæ Rege, usq; ad Regem Haquinum Haquini Senioris filium.

Ad calcem libri addita sunt octasticha I. Sadolini, de regibus Daniæ simul & Norvegiæ, ab Olao Haquini filio usq; ad Christianum hoc nomine Quartum.

Inclyta nescirent Heroum gesta nepotes,
Si non historicus proderet illa liber.

ROSTOCHII
Ex Officinâ Typographicâ Stephani Myliandri.


ANNO M. DC. VI.



Egibus infallax dedit hoc inſigne vetuſtas,
Imperio quorum Cimbrica regna vigent.
Candida CRUX, Domino proprijs nec fidere rebus,
Cum populis Reges CRUX ſacroſancta monet.
Fauſta CORONATI referunt TRES bella LEONES,
Pace duces pacem, prælia Marte gerant.

Quid


Quid LEO? quem curvâ decorat Diadema Bipenni?
Heroas fortes, fortia corda decent.
Cur micat in clypeo facili vultuq; benigno?
Aſpiciens hominum ſubdita corda DEO.
Parcere ſubjectis, & debellare rebelles,
Principis officium debet id eſſe pij.
Quid DRACO? Rex hoſtem non fraude, ſed arte re-
Viribus infractis bella gerenda ferat. (pellat,
Pacis amore ſalus populiq; Ducumq; vireſcit,
Pacis ut æqua triplex ſigna CORONA refert.
Quid ſibi vult AGNUS ſigno victoris adauctus?
Mite pijs ducibus pectus ineſſe decet.
Quidve CORONATUS Piſcis, geminiq; LEONES?
Prælia pro populis Rex gerat atq; Deo.
Subjectos flagret terrâq; mariq; tueri,
Liberet enſe bonos, puniat enſe malos.
Quid folia URTICÆ? vetitas Rex pectoris iras,
Et populi reprimat, lege jubente, ſcelus.
Scripta Poëtarum Reges præclara coronant,
Infixum CYGNO quod DIADEMA docet.
Emicat è TRABIBUS legum reverentia BINIS,
Imperij faſces jure cadente cadunt.
CRUX Domini? timidum nihil, aut leve Regibus inſit,
A CHRISTO Regum pendeat una ſalus.
MILES equo reſidens nudatum commovet enſem:
Evehat invictos bellica fama duces.
Aurea Danorum clypeos complexa CORONA,
Criminis expertes admonet eſſe duces.
Aurum labe caret: Reges pia facta coronant,
Hoc clypei fato Danica ſceptra virent.



MAGNIFICO, NOBILI ET STRENUO VIRO, ELOQVENTIA SAPIENTIA, MAgno rerum politicarum usu, & summis virtutum laudibus præstanti,

Dn. ARNOLDO HUIDFELDO, de Odersberg, inclyti Regni Daniæ Cancellario &c. Domino & Patrono suo plurimum observando.

S. D.



Nclyte Huidfeldæ celebri vir
stemmate gentis,
Priscæ quæ titulos Nobilitatis
habet:
Salve Mecœnas; & longum Nestoris ævum
Comple, teq; Dei gratia magna beet.
Consilio prudens, vario spectabilis usu,
Justitiæ sacræ cultor, amansq; DEI.

Quare

Quare macte animo, divus Fridericus amavit
Ingenuum pectus, judiciumq; tuum.
Tempore quin longo regni secreta tenebas,
Et noras Regis sensa animumq; tui.
Totius es Regni nunc Cancellarius ampli,
Præstans eloquio, Relligione, fide.
Accipe sincerâ non magnum mente libellum,
Mittere quem jussit nostra Thalia tibi.
Est rudis (hoc fateor) nec tãto præside dignus,
Spes mihi certa tamen posse placere subit.
Non modò quod faveas Musarum castra secutis,
Auxiliatrices sæpe ferasq; manus.
Sed studijs etjam quod sis cultissimus ipse,
Tinctaq; Castalio pectora fonte geras.
Quamvis ampullas & sesquipedalia verba,
Sæpe Poëtarum turba animosa crepet:
Quæ vacuas tantum titillant suaviter aures,
Grandibus & feriunt pectora vana sonis.
Me tamẽ usq; juvat cum simplicitate referre,
Regum Norvagiæ perspicue historias,
Horum gesta igitur breviter potiora notabo,
Illis ut detur gloria, lausq; simul.

Hoc opus, hic labor est vatum, conscribere dulci
Splendida magnorũ carmine facta Ducum.
Et memores factis illustribus addere Musas:
Longa dies nunquam quas abolere potest.
Nam post fata manet virtus, virtutis & & acta,
Munere Musarum concelebrata sacro:
Ergo canens Reges, est dignus munere Regum,
Nutrit honos artes, Regia res honor est.
Nomina dant vates, Reges dant lauream & aurum:
Ambo vicißim sic munera digna ferunt:
Exhibet hoc fulvo Cygnus diademate cinctus,
Armis Danorum qui bene junctus adest.
Quam fuerat florens olim Norvegia Regnum,
Testantur varijs splendida templa locis:
Vrbes, munitaq; arces, & cœnobia alta,
Hic oculis quæ sunt antea visa tuis.
Nam non Bergensem tantum lustraveris arcem,
Quæ tibi nascenti vitæ elementa dedit.
Sed reliquas etjam terras memorare libebit,
Tentâsti studio quas peragrare tuo.

Non

Non ego nunc referam Gallorum ditia regna,
Hiſpanaſve domos, Teutonicumq́; ſolum.
Cernere non etjam dubitas Norvegica ſaxa,
Saxa ſub Arctoo conſpicienda polo.
Nidroſiæ ſedes antiquas, & ſacra templa
Viſere gaudebas, non renuente Deo.
Rußia te vidit, vidit Finmarchia junctum
Claris legatis, conſpicuisq́; viris.
Hic demiraris Finnos non corpore magnos,
Magnas arte ſua poſſe domare feras.
Nam venatores, venatricesq́; peritæ,
Emißis jaculis obvia quæq́; necant.
Et celeri curſu fugientia cuncta ſequuntur,
Non ſecus ac nervo miſſa ſagitta volat.
Hæc vaga gens inter montes & ſaxa pererrans,
Secum resq́; ſuas & ſua tecta trahit.
Vrſos quiſq́; ſequi miro conamine gaudet,
Nam cuncti urſorum vivere carne ſolent.
Et repleta bibunt illorum pocla cruore,
Ignibus excoctus qui tamen ante fuit.
Tunc veluti celebris lætantes Jure triumphi
Edunt barbarico murmura rauca ſono.

Hi reprobam (ut fertur) tractantes Dæmonis artem,
Mortales alios ludificare sciunt.
Cognoscunt ventos tempestatesq; ciêre,
Ac inferre suis hostibus exitium.
Quin proprias animas ipso de corpore mittunt,
Scrutantes varijs multa notanda locis.
Quas rursum excipiunt redeuntes, visaq; narrant
Omnia, perpensæ pro ratione rei.
Hæc verò fieri quis crederet? at mihi testis
Præmultis locuples solus & unus eris.
Plura meis essent jam commemoranda Camœnis;
Sed justum poscit nostra Thalia modum.
Ac ne propositi ulterius vager immemor, ad te
Nunc redeo, meritis vir memorande tuis.
Te precor, ut placido mi Cancellarie vultu
Suscipias humili carmina facta stylo.
Historias, artes, & dulces excole Musas,
Quod facis, & doctos perge fovere viros.

Sic

Sic nomen, laudesq; tuas nulla obruet ætas,
Quæ venit à Musis gloria vera venit.
Quicquid agas, vertant superum benè Numina, Parcæ
Adijciant vitæ secula multa tuæ.
Et tuus instabilem vitam cum fata reposcunt,
Spiritus ad celsi subvolet astra poli.

Tuæ Magnificentiæ
Observantissimus

HALVARDVS GVNARIVS.



EPIGRAMMA

In Chronicon Norvegiæ Poëticum.

Reverend. & Clariß. Viri
DN. M. HALVARDI GVNARII, Collegij Asloensis in Norvegiâ Archipresbyteri, & Lectoris Publici.

HISTORIA, testis temporum, densum chaos
Dilucidando digerit,
Suisq; gestas res in orbe sæculis,
Metisq; certis ordinat:

Et

Et veritatem à fabularum næniis
Discriminans, densissimis
Res ex tenebris lucis in Clarissimæ
Amœna tempe collocat:
Oblivionis à sepulchrali situ
Heroas amplos vindicans,
Memores apud donat nepotes incliti
Vitam perennem nominis:
Magistra vitæ monstrat exemplis bonis
Malisque, queis vestigiis.
Virtutis atq; gloriæ fastigia
Adire possis ardua,
Fœdisq; vitiis nuntium remittere,
A clade liber vindice:
Antiquitatis nuntia, ætas desita
Quæ plurima ante secula.
Patravit atq; vidit, hæc ad tempora
Scitê revolvens innovat;
Actis iisdem perpetim manentibus,
Licet actor exsurgat novus.
Proinde laude plurimâ doctissimi
Dignum est labor GUNARII:
Quo maximorum res Monarcharum ultimis
Ab usq; repetens sæculis,
Compendiosis illigavit versibus,
Polyhistor & vates bonus.
Per hunc revixere atq; in auras luminis
Rediere Reges, Assuris
Niniquê fortes ac potentes posteri,
Babylonis amplæ præsides.
Rediere post hos & Monarchæ Elamidæ,
Sceptrum tenentes Persicum.

Rediere

Rediere fortes ac feroces Hellados
Pulcris in armis principes.
Rediere claris in triumphis Romulus
Cum ſubſequis Quiritibus.
Rediere magno Teutones cum Carolo,
Aquilâ ſuperbi duplice.
HALDANUS illis ecce Suartheus nunc pedem
Conjungit, armis inclitus:
Qui ſub Boote ſceptra Rex Norvegiæ
Potente geſsit dexterâ.
Ut fulget auro! dum caballum dirigit,
Flectens in orbe cingulo.
Ut gaudet, agmen intuens heroicum,
De ſtirpe proſatum ſuâ!
Ut fundit ore verba tamquam fluminis
Ex fonte pleno proflua!
Dum poſterorum nuntiat cohortibus,
Sibi & Ragnildæ conjugi
Oblata quondam nocte in atrâ ſomnia,
Præſaga tantorum virûm.
Hi vero ut aures arrigunt! ut mentibus
Famentibus dicta imbibunt!
Ut veritatem ſomniorum cælitus
In ſe repletam geſtiunt!
Ut agminatim gratias GUNARIO
Tubis agunt ſonantibus!
Qui res ab ipſis fortiter geſtas ſuo
Illuminarit carmine,
Monumenta ponens ſaxea vel ænea
Perenniora imagine.
Sed inter omnes ceteros, à funere
Quos excijt GUNARIUS,

Adhuc

Adhuc ſuperſtes (ô ſuperſtes ſit diu !)
Rex CHRISTIANUS eminet,
Poſtremus ordine verſuum, ſed ſplendidis
Primos gradus virtutibus.
Tenere dignus. Vivus hic vivacia
Sua audiens præconia,
Verare cuncta non modò unice ſtudet,
Sed & reapſe vincere;
Ut non obire poſteris dici queat,
Sed victitare perpetim.
Hic hic ſuumq; & anteceſſorum decus,
Tuis perennatum metris,
HALVARDE, abunde liberali dexterâ
Ornabit, atq; præmium,
Doctis rependet debitum laboribus :
Quamquam tibi ipſe præmium
Ingens paraſti, nominis doctiſsimi
Perennivivam gloriam.
Dum namq; famam Regiorum nominum
A dente leti vindicas,
Tibi eruditis comparas famam libris,
Quam nulla mors deleverit.

M. Petrus Bambamius, Ecclesiastes & P. L.



CHRONICON Regum Norvegiæ, qui vulgò ENEVOLDI, hoc eſt, Monarchæ fuerunt.

HALDANVS COGNOMENTO SVARTVS, id eſt Niger REGVLORVM NESSICORVM h. e. NOMARCHARVM poſtremus.



Actenus Aſſyrios cecini, Perſasq́ Monarchas,
Græcos, Romanos, Teutonicosq́ ſimul:
At nunc fert animus præconia dicere Regum,
Norvagiam validâ qui tenuêre manu.
Quæ gelidæ eſt ſeptem ſubjecta trionibus urſæ,
Oceano & Scopulis undiq́ cincta fere.
Piſcoſis dives lacubus, fœcundaq́ frugum,
Pæonijs herbis, arboribusq́ ferax.
Belligeris florens fuit hæc Heroïbus olim,
Navarchis rigidis, conſpicuisq́ viris.
Regibus (vt vocitant) Neſſicis tempore longo
Paruit, alma quibus pax odioſa fuit;
Sæpe illis ſtricto libuit concurrere ferro,
Vltro qui voluit cedere rarus erat.

Sed mirâ pulchræ stimulante cupidine laudis,
Hostiles gaudet fundere quisq; manus.
Eminet inter eos SVARTVS cognomine dictus
Haldanus, patriæ gloria magna suæ.
Fortior audentes dextram conferre subegit,
Subijciens pedibus, Marte favente, suis,
Strenuus Oplandas valido certamine gentes
Subdidit, Occiduam Westfoliamq; sibi.
Westfoliam crebris quam pulsat fluctibus æquor.
Cum niger eversas concitat Eurus aquas.
Postea Ragnildam junxit sibi fœdere, Neptis
Quæ Clachi, Danaum sceptra tenentis, erat.
Fortè quiescenti relevans nox pectora curis,
Offert Reginæ talia visa nova.
Ex gremio spinam sese peperisse videtur,
Quæ cæpit tepido crescere fixa solo.
Maxima defixis stabat radicibus altè,
Vertice contingens Sydera celsa Poli.
Vertex albus erat, rubicundo stipite fulgens,
Sed radix viridi tincta colore fuit.
Vndiq; diffundens latè sua brachia, totam
Vmbrabat ramis Norrigiamq; suis.
Rex quoq; Cæsarie quondam notissimus atrâ,
In somnis Suartus somnia mira videt.
Scilicet vt longè splenderet pulchrior, inq;
Divisus varias, crinis ab arte, comas:
Prima brevis collum, promissior altera lumbos
Tangebat, talos tertia, quarta solum:
Omnes diversis fulsere coloribus, omnes
Et regi miris complacuere modis;
Vnaq; præcipuè nitido fulgere colore
Visa fuit, major nobilitate suâ.

Somnus

Somnus ut abcessit, Torlepho visa renarrat
Somnia, cognomen cui sapientis erat:
Finierat: mox interpres sic ora resolvit,
Excutiens animo singula dicta suo.
Suartiaca multi descendent stirpe Monarchæ,
Et cogent hostes vertere terga suos.
Ast unus reliquos excedet fortibus armis,
Hostibus ex victis læta trophæa ferens.
Omnes intrepidi lituos & bella sequentur
Fervida; sed reliquis fortior unus erit.
Interea conjunx pulchrum formosa marito
Filiolum peperit, lætitiamq; suo.
Qui tulit Haraldi multis commune Monarchis
Nomen, cum sacris perluerетur aquis.
Is citò succrevit fluvialis arundinis instar,
Spes & amor matris deliciumq; suæ.
HAdlanda est regio Rhandi contermina ripis:
Nec non sylvosis, undiq; cincta jugis.
Parvaq;, frugifero sed passim nobilis agro,
Membrosis & equis, piscibus atq; feris.
Hic habuit sedes Haccho fortissimus olim,
Qui rapuit natam, Magne Sivarde, tuam.
Hic positis Suartus duxit convivia mensis
Sæpius, hic vitam reddidit ante diem.
Vere etenim fractâ glacie submersus in undis,
Interijt Rhandi, turba sequensq; ferè.
Quattuor ut lustris bis denos addidit annos:
Sic latet ille locus, quo morietur homo.
Vive memor Lethi, morieris fortè sub horam;
Spe citius Lethum sæpe venire solet.
Sed quò digredior? sapiens Haldanus & æquus
Leges pro Regni conditione tulit:

Utq; alij latas servarent jugiter omnes.
    Servavit leges jugiter ipse suas.
Omnibus & reliquis longè felicior idem,
    Ante ipsum sceptrum qui tenuêre, fuit.
Læta sub hoc etjam currebant tempora Rege,
    Namq; sub hoc frugum copia dives erat.
Amplaq; vix largas capiebant horrea messes,
    Tanta fuit frugum, copia tanta fuit.
Ergo ubi fama volans cunctis pervenit ad aures:
    Subjectis, Regem sic perijsse suum:
Et cineres atro condendos esse sepulchro:
    Hic ubi Ringericos Tyrus inundat agros.
Hedmarchi veniunt, Romeris cum Westfolijsq;
    Primates, ejus relliquiasq; petunt.
Lis oritur, quivis cineres auferre laborat,
    Et juxta proprios contumulare lares.
Semina quò reddant agri cum fœnore multo,
    Et Domino non sint horrea magna satis.
Divisum est partes in quattuor ergo cadaver,
    Quilibet ut partem sumeret inde suam.
Herbiferoq; domum tumularet colle reversus,
    Sicut majorum tempore moris erat.
Præstantes regni proceres Ringrigia vidit,
    Non procul à Steno condere colle caput.
In quibus illius tumulati membra quiescunt,
    Haldani colles secula nostra vocant.
Annos mille quater steterat tum machina mundi,
    His octingentos cum tribus adde decem.
Secula transierant post partum virginis octo,
    Et jam bis septem lustra peracta forent.

HARAL-

HARALDUS COGNOMINATUS HORFAGRIUS SIVE PULCHRICOMUS HALDANI Filius, Primus REX sive Monarcha NORVEGIÆ.

Filius extincto patri successit HARALDUS,
Norgica qui primus sceptra Monarcha tulit.
At parêre ferox, illiq́ subesse recusans
Pars bona Consilium Nobilitatis habent,
Quâ ratione queant patrio expellere regno
Ipsum, vel miseris exanimare modis.
Rex ubi Consilium cognovit, protinus ædes
In quibus, armato milite cingit, erant,
Inijcit (infandum) tectis sublimibus ignem:
Illaq́ Vulcano depopulante ruunt.
Pars absumuntur flammis, pars arma capessunt,
Quisq́ sed adverso cæsus ab hoste cadit.
His actis, Giodæ connubia virginis ambit,
Rege Hordlandorum quæ Patre nata fuit.
Legatos igitur mittit, quibus illa diserto
Respondens tales reddidit ore sonos.
Hunc ego nolo virum, cui sola Nomarchia paret,
Hunc, qui dat regno jura Monarcha, volo.
Ergo Norvagiam si totam fortibus armis
Subdiderit sceptro strenuus ille suo,
Illius ingrediar thalamos: ego sponsâ, thoroq́
Dignabor, voti compos eritq́ sui.
Hæc, ubi legatis referentibus, auribus hausit,
Testificans læta gaudia mentis, ait:
Hoc pro responso sit gratia magna puellæ,
Suggerit ex animo quæ mihi tanta bono.

Per superos igitur (parent quibus omnia) juro
Quod mihi promissas non resecabo comas,
Et quod barba comans non ante resecta jacebit,
Subdidero patriam, quam mihi Marte, meam:
Aut gelido moriar transfixus pectora ferro,
Aut patriæ magnus jura Monarcha dabo.
Nec mora, conscribit turmas Horfagrius acres,
Et citus armatos contrahit ille viros.
Hinc cum Nessicis gerit aspera bella Nomarchis,
Et victos cogit vertere terga sibi.
Pars mutant patrios, bello durante, penates,
Hic Thyles, alter Iemptica rura petit.
Pars remanent, illiq; manus dant sponte, feraces
Ne perdant fundos, prædia culta, suos.
Quiq; prius Regis titulos & nomen habebat,
Nunc fert impositum subditus ille jugum.
Jamq; sui compos voti, regniq; Monarcha,
Horfagrius populo jura dat æqua suo.
Lotaq; Cæsaries Rogvaldi falce secatur,
Per duo quæ nunquam lustra resecta fuit.
Nunc tua Cæsaries Rex est pulcherrima, (dixit
Tonsor) & Horfagrij nomen habere potes.
Postea sperantem connubia læta puellam
In sociam recipit, participemq; thori.
Bis denos habuit charissima pignora natos,
Quos ex conjugibus bis tulit ille tribus.
Inde nothum, vitæ numerans sex octoq; lustra
Progenuitq;, cui nomen HAQVINVS *erat.*
Hunc Adelsteno, pictis dans jura Britannis,
Enutrijt, mores edocuitq; bonos.
Hunc amat, hunc curat tingendum flumine sacro,
Imponi nomen mandat eiq; suum.

Hunc

Hanc pius erudiens quidam puerilibus annis,
Salvificamq́ docet, Rege jubente, fidem.
Interea exactis vitæ sex octoq́ lustris,
Horsagrium vires distituêre senem.
Imperium quare nato committit Erico,
Nam reliquis patri charior ille fuit:
Post obit Aulsnesi lapsa trieteride, mortem,
Qui jacet ad templum viscera collis habet.
Annos imperij si quisquam scire laborat,
Tres annos fasces, lustra decemq́ tulit.
Tunc novies centum post partum virginis anni
Implerant cursum, senaq́ lustra suum.
Fortius & majus vel munificentius illis
Temporibus vidit Norgica terra nihil.
Hic vellem ventis velum subducere, si non
Exponenda mihi somnia visa forent.
Somnia, quæ Clachi neptis Ragnilda videbat,
Noctu cum premeret lumina victa quies.
Arboris ut radix fuit instar rubra cruoris,
Sed viridis Stipes more Smaragde tuo:
Extitit auspicium regni sic Marte cruentum,
Postea quod florens tempore pacis erat.
Arboris ut niveum vertex referebat olorem,
Tempore qui mortis carmina grata canit.
Sic caput & niveis sparsus sua tempora canis,
Horsagrius summum clausit in orbe diem.
Deniq́ ceu multos latè sua brachia ramos
Diffudit, tepido stans benè fixa solo:
Sic latè charos sparsit sua pignora natos,
Progenies ejus sic numerosa fuit.
Vnde Monarcharum descendit origo sequentum.
Norgica qui forti sceptra tulêre manu.

Namq́

Namq; tulit legem, ne regni sceptra teneret,
Qui non illius stirpe profectus erat.
Ergo quis Clacho celebri genitore creatæ
Somnia Ragnildæ vana fuisse putet?

ERICVS HORFAGRII FILIVS Cognomento BLODOXVS II. Rex Norvegiæ.

P*Vlchricomus lumen postquam vitale reliquit,*
Sex vitæ numerans octoq; lustra suæ.
Imperij natus moderatur Ericus habenas,
Robore quas patrem destituente tulit.
Fratribus incedit regnandi sæva cupido,
Vnde movent fratri bella cruenta suo.
Ergo lacessitus delevit funditus illos,
Vt regni magnas solus haberet opes.
Vix elapsus erat decursis mensibus annus,
Ex quo relliquias condidit ille Patris.
Ecce Caledonijs Haquinus venit ab oris,
Qui satus Horfagrio de genitore fuit.
Hunc populus Regem, regni proceresq; creabant
Illis invisus namq; Blodoxus erat.
Extremos quare ventis dans vela Britannos
Exul adit, tota concomitante domo.
Illic ex rapto vixit dum vixit, & illic
Nunc interfecti membra sepulta jacent.

HAQVINVS ADELSTENO HARALDI HORFAGRII nothus III. Rex Norvegiæ.

R*Exit Adelsteno rerum incuipatus habenas,*
Vir bonus & veræ Relligionis amans.

Sedu-

Sedulus ergo operam dedit in conventibus illū,
Vt populus ſacris perlueretur aquis.
Salviſicoq; darent omnes ſua nomina Chriſto,
Et colerent ſummi ſacra ſtatuta Dei.
Sed voti compos non fit, nolente Senatu
Exuere antiquos Numina vana Deos.
Jura miniſtravit cunctis tamen æqua, deditq;
Præmia pro factis digna cuiq; ſuis.
Hic ubi bis denos regnaſſet ſexq; per annos
Percharus populo, nobilibusq; ſuis:
Navibus inſtructis (ſtimulante cupidine regni)
Adveniunt Nati, magne Blodoxe, tui.
Vdaq; roſtratas torquēt ad littora proras,
Littora queis ſedes Regia juncta fuit.
Quas ſimul ac vidit, capit arma, hoſtesq;, necatis
Haud paucis, cogit vertere terga ſibi.
Sed lethale tulit vulnus fugientibus inſtans
Cui fruſtra medicas applicat ille manus.
Ergo Grafelderus natus genitore Blodoxo,
Sceptra capit patruo dante gerenda ſuo.
His actis, moritur Rex optimus illius ævi,
Jn Stimo cujus membra ſepulta cubant.
Hunc omnis fato populus deflevit ademptum,
Ingeminans mæſtis talia verba ſonis.
Accipiet talem nunquam Norvegia Regem,
Illi vix ſimilem ſecula multa dabunt.
Quinquaginta novem poſt incunabula CHRISTI,
Implerant curſum ſecla novemq; ſuum.

HARALDVS COGNOMENTO GRAFELDERUS, ERICI BLODOXI filius, IV. Rex Norvegiæ.

Patruus ex vita postquam decessit, Haraldus
Imperij lætus frena petita tenet.
Hic Iarlum flammis (matre instigante) Sivardum
Absumpsit, patrem, fortis Haquine, tuum:
Hoc ubi forte tuas perlatum venit ad aures,
Nidrosiam cogis Marte subesse tibi.
Viq; tenes, genitor quam strenuus ante tenebat,
Pacis Adelstenæ cum superesset amans.
Rex igitur totum statuens sibi subdere regnum,
Contrahit ex varijs agmina densa locis.
Navigat inde petens Vigiam, quæ bobus abundat
Pingvis, ubi largè semina reddit ager.
Hic improvisus Trygonem cædit Olai,
Inter convivas dum sedet ille suos.
Te quoq; Biornonis soboles Gudrode trucidat,
Westfollos certa qui ditione tenes.
Hinc petijt ventis naves comitantibus urbem,
Quæ jacet ad ripas frigide Nida tuas.
Mox fugit ipse suis diffidens Iarolus armis,
Hoste petens Cimbros approperante suo.
Postea cum Danaum facturus mutua rege
Verba Grafelderus per mare vela dedit.
Jamq; sinus Limviga tui subit ostia tutus,
Omnia securus, nil metuensq; mali.
Ecce Gulharraldus nil quicquam tale timentem
Aggreditur, miseris interimitq; modis.
Tunc Rex majori cecidit cum parte suorum
Imperij fasces qui tria lustra tulit.

HAQUI-

HAQVINVS IAROLVS GORMONIS filius, V. Rex Norvegiæ.

Morte Grafeldero rapto, succedit Haquinus
Iarolus, auxilio, fortis Haralde, tuo.
Qui Gormonis eras proles generosa Monarchæ,
Tota sub Imperio Dania cujus erat.
Namq́ Gulharraldum duro certamine vicit,
Et victi laqueo colla ligare jubet.
Exultansq́ animo Spolijs ornatus opimis,
Norvagici repetit dulcia rura soli.
Tranquillâq́ suos populos in pace regebat,
Dum licuit, nullo bella movente duce.
Temporis interea veniunt duo forte Gigantes
Iulino, armata concomitante manu.
Excipit intrepidè venientes strenuus armis
Iarolus, & letho corpora multa dedit.
Inq́ fugam victos conjecit fortior hostes,
Maxima pars quorum cæde perempta fuit.
Hæc regi magnam peperit victoria laudem,
Nemoq́ non illi bella movere timet.
Illius Harraldus Gronschæus tempore vixit,
Gronschæus genitor Martyr Olae tuus.
Et circa Asiojam populum cum laude gubernat,
Imperij consors par & honore simul.
Is petijt Sueonum Reginam rite vocatus
Sumere magnificas, vinaq́ pura, dapes.
Liberiusq́ bibit metuens nil ille pericli,
Verbaq́ de varijs plurima rebus habet.
Verba, quibus bilem Dominæ movet inscius hospes,
Vt fit cum nimio membra liquore madent.
Quapropter curat vino somnoq́ sepultum
Absumi flammis, nocte silente, virum.

Ebrietas patulas profert reticenda sub auras,
Exitio magnis sæpè fuitq́; viris.
Audijt ut solum Tryggonis Olaus Haquinum,
Sceptra tenere, rates instruit arte bonas.
Nidrosiamq́; petit, ventis comitantibus urbem,
Finitimam ripis frigide Nida tuis.
Iamq́; intrant portum Zephyro spirante petitum,
Et sistit celeres anchora jacta rates.
Forte Medelhusi conviva recumbit Haquinus,
Et positis curis gaudia lætus agit.
Gaudia lætus agit, sed parvo tempore, rumor
Nunciat hostilem proximè adesse manum.
Quid faceret, raptam stupraverat ante maritam
Alterius, fœdo captus amore nimis.
Hinc odio Regis populus flagrare nefando
Cæpit, & imperij nolle subesse jugo.
Diffidens igitur subjectis, arripit unà
Præcipitem famulo cum fugiente fugam.
Et pariter rupem subrepunt ambo cavatam,
Hinc rupem IARLI, secula nostra vocant.
Victa sub hac placido dat herus sua lumina somno,
Corporis ut dulci membra quiete levet.
Ast ubi stertentem Charcherus vidit, acuto
Incidit cultro, perfidus, ecce gulam.
Abscissumq́; suo portat caput impius hosti,
Sperans apprimè munera magna sibi.
Quod simul ac factum crudele audivit Olaus,
Interfectori præsecat ense caput.
Sic pereant Dominos qui gaudent fallere servi,
Et capiant meritis præmia digna suis.
Jarolus è veteri prognatus stemmate Regum,
Vir sapiens, audax, miles & acer erat.

Numina

Numina ſed coluit pro vero Numine vana,
Errans hoc illi cauſſa perire fuit.
Namq́ rudem voluit gentem DEus ipſe doceri,
Semita ſydereas quæ ſit ad aſtra domos:
Imperium tenuit vicenos Iarolus annos,
Eccellens armis, divitijsq́ potens.

OLAVS TRYGGONIS FILIVS VI. Rex Norvegiæ.

POſt hunc occiſum, ſoboles Trygonis Olaus,
Imperij populo ſceptra volente capit.
Danicus à teneris quem Rex eduxit honeſtè,
Præfectum regno conſtituitq́ ſuo.
Ruſſia quem, frugumq́ ferax Germania vidit,
Iunctum magnificis eximijſque viris.
Illius intrepidum cor & Mavortia virtus,
Cognita ſub ſignis ſunt Otho Magne tuis.
Inde feros petijt conſcenſis navibus Anglos,
Hybernosq́ truces per mare vectus adit.
Quaq́ venit pagos opibus ſpoliavit & urbes,
Et ſibi magnificas accumulavit opes.
Illic & vitæ ſociam ſibi fœdere jungit,
Hæc Irlandorum filia Regis erat.
Hic aliquot ſocia cum conjuge ſubſtitit annos,
Producens, ſocero ſic cupiente, moram.
Fama volans donec totam parere referret
Norvagiam ſoli fortis Haquine tibi.
Mox repetit patrios (cecini velut ante) penates,
Fugerat occiſo quos genitore prius.
Tunc gentilis erat Norvegia tota, ſuosq́
Confictos coluit Numina vana DEos.

Sed mutat mores, falsosq́; relinquit (Olao
Sub capitis pœna præcipiente) Deos.
Et lustrata sacris Christo dat nomina lymphis,
Qui voluit nostri criminis ergo mori.
Postea Nidrosiam fundavit conditor urbem,
Quæ jacet ad ripas frigide Nida tuas.
His actis Sueonum Reginam ambibat Olaus,
Sigridæ nomen quam tenuisse ferunt.
Comparere igitur statuunt Congelvia in urbe,
Et de conjugio mutua verba loqui.
Ver erat & varios fundebat terra colores:
Conveniunt dicto, ceu statuere, loco.
Hic procus excepit reginam lætus honestè,
Et verbis illi talibus usus ait.
Si Regina potens sacro vis fonte rigari,
Intrabis thalamos sponsa petita meos:
Illa refert, sacro lustrari flumine nolo,
Nec volo Majorum destituisse fidem.
Tu retine quamcunq́; voles retinere, mearum
Non volo majorum destituisse fidem.
Sic heros irâ commotus reddidit: an tu
Credis gentilem me voluisse canem?
Et simul illius ferit illo tegmine frontem
Quod Græcis dici Dactilotheca solet.
Mox ea surrexit flagranti concita bile.
Discessitq́;, minans fata, necemq́; viro.
Hæc tibi luctificam pariet percussio mortem,
Forsan & optabis non tetigisse genam.
Postea Sigridam thalami sibi fœdere junxit
Sueno, sub imperio Dania cujus erat.
Tum Burislao parebat Vandala tellus,
Annis confectus qui senioq́; fuit.

Huic

Huic licet invitam transmisit Sueno Sororem,
Quam cupijt thalamo jungere ritè Ducis.
Non cibus ora javat, nec pocula plena falerno,
Rege minus Thyræ, displicuitq; nihil.
Ejus enim niveis albebant tempora canis,
Et non in sacro flumine tinctus erat.
Iccirco furtim digressa petebat Olaum,
Terra sub imperio Norrica cujus erat.
Vt vidit, visæ flagrabat amore puellæ,
Illius & thalamos sponsus inire cupit.
Annuit illa viri votis ardentibus ardens,
Et dat conjugij spemq; fidemq; sui.
Gaudia Nidrosiæ celebrant Hymeneia læti,
Cum decus amittunt terra nemusq; suum.
Postea Wandaliæ Regem visurus adornat,
Classem (Regina sic cupiente) suam.
Vt res illius secum ferat inde relictas,
Sed quidnam porrò sit mea Musa refer.
Hæc ubi fama volans Sigridæ venit ad aures,
Persuadet charo bella gerenda viro.
Persuasus Regi Suconum mox scribit Olao.
Vt sibi suppetias auxiliumq; ferat.
Et petit auxilijs ut se juvet acer Ericus
Iarolus, Haquino de genitore satus.
Is cum germano patriam Suenone coactus
Fugerat, & Sueco fœdere junctus erat.
Ergo ubi maturis Campus flaveret aristis,
Et caderet passim falce resecta Ceres.
Protinus adducunt numerosum militis agmen,
Inq; ferunt vires bella gerenda suas.
Vt venere rates Sueno mox instruit inde,
Vandala conjunctis viribus arva petunt.

Suol-

Sualdensi cecidit proræ comes anchora portu,
Et sistit volucres firma tenaxq; rates.
Iamq; domum properans dat Olaus lintea ventis,
Illic hostiles nescius esse manus.
Cumq; intret portum pulsantibus æquora remis,
Protinus armatas vidit adesse rates.
Mox celeremq; fugam quidam suasere Monarchæ,
Pars quia non præsens maxima classis erat.
Ast heros nulla mentem formidine pressus,
Illis respondens talia verba refert:
Nunquam terga dedi, neq; jam dabo terga fugatus,
In Domini sors est & mea vita manu.
Sic ait, & densos vitæ contemptor in hostes
Irruit, adversas ense fugatq; rates.
Inferiorq; diu numero tres sustinet unus,
Probrosam nolens arripuisse fugam.
Ast ubi majorem, mutata sorte, peremptam
Conspexit partem militis ense sui,
Prosilit in pontum confestim puppe relicta,
Vitaq; luctifica morte soluta fugit.
Sic postquam lustro fasces tenuisset Olaus,
Submersus vitam finijt ille suam.
Hoc duce jam sacris tincta est Norvegia lymphis,
Quo dedit impietas vindice pulsa fugam.
Ille est, (si nescis) Nidrosiæ conditor urbis,
Finitimæ ripis, Nida profunde, tuis.
Rege sub hoc nostram docuit sacra dogmata gentem
Anglis Bernhardus progeneratus avis.
Hic etjam sacro Baptismate lavit Olaum,
A te Christe jubens tradita jussa sequi.
Tunc cursum implerant post partum virginis anni
Nonaginta novem, secla novemq; suum.

ERICVS IAROLVS HAQVINI Filius VII. Rex Norvegiæ.

UT vitam liquidis efflavit Olaus in undis,
Norrica quo vidit fortius ora nihil.
In partes Regnum sibi distribuëre Monarchæ,
Divisi partem quisq; tulere suam.
Magnanimus regni moderatur Ericus habenas,
Et cum Germano, jura dat æqua, suo.
Qui quamvis essent perfusi fonte Salutis,
Cura tamen parva his relligionis erat.
Nil igitur mirum, quod destituêre sacratam
Maxima pars plebis cum pietate fidem.
Postquam bis senos regnasset Ericus in annos,
Committit nato, sceptra gerenda, suo.
Inde Calidonias cum classe profectus in oras,
Te juvat auxilijs, magne Canute, suis.
Ardua Londini cœpit tum mœnia victor,
Quod jacet ad Thamysis prætereuntis aquas.
His actis, illi columellæ sectio mortem
Attulit, ante suum sic perit ipse diem.

HAQVINVS ERICI ET SVENO Patruus IIX. & IX. Reges Norvegiæ.

POst obitum chari genitoris, filius annos
Cum Patruo tenuit tradita sceptra duos.
Hoc ubi perlatis rumoribus audit Olaus,
Cui pietas Sancti nomen habere dedit.
Angliacas linquit conscensis navibus oras,
Et repetit patriæ, dulcia rura, suæ.
Ut redijt, reges, peregrinis viribus auctus,
Expulit, & populo sceptra favente capit.

Pulsus adit Sueno Suecones, Haquine Canutum,
Accedis, frater nam genitricis erat.

S. OLAVS HARALDI GRONSCHÆI Filius Cognomento CRASSUS, X. Rex Norvegiæ.

R*Egibus expulsis, regnum sortitur OLAVS,*
Qui cultor veræ relligionis erat.
Nidrosiæ magnis extruxit sumptibus ædem,
Quam Clementinam secula nostra vocant.
Ignibus eversam violentis funditus urbem
Restaurat, sedem figit ibiq; suam.
Quo mandante sacris populus conversus in undis
Tingitur, & nomen dat tibi Christe suum.
Omnibus exitium, mortemq; minatur acerbam,
Qui sua detrectant jussa verenda sequi.
Regulus id patulis Roricus ut auribus hausit,
Hedmarchos certa sub ditione tenens:
Conspirat contra, tecum Gudrode, Monarcham,
Cumq; alijs, ipsum qui superesse dolent.
Quid fit? securis nihil & metuentibus illis,
Rex venit armata se comitante manu.
Et conjuratos vinclis constringit, inundat
Hic ubi Ringsagricos Mosa profundus agros.
Gudrodum linguâ, Roricum lumine privat,
Sic ambo pœnas, quas meruere, luunt.
Sed natale solum reliquos mutare coëgit,
Inq; peregrinis quærere tecta locis.
Roricus semper sequitur comes inde Monarcham,
Illi conjunctus Sanguine namq; fuit.
Sed quia cultello tentat dare vulnera Regi
Astanti sacris, vincula dura tulit.
Islandisq; ideo servandus mittitur idem,
Nunc ubi defuncti corporis ossa cubant.

Post

Post hæc exoritur bellum, quod movit Olaus
Fonscho, qui tenuit Suetica sceptra potens.
Nunc Sueones nostris sævi grassantur in oris,
Ruricolas opibus dispoliantq; suis:
Nunc Suetico nostri grassantur in orbe vicissim,
Et dant in varijs maxima damna locis.
Pax tandem facta est, Soror & Fonschonis Olao
Legitimo sacri fœdere juncta thori.
Vtraq; gens læto testatur gaudia plausu,
Et dat lætitiæ plurima signa novæ.
Postquam districtos Bellona recondidit enses,
Sævaq; finito prælia Marte silent,
Totius lustrat regni loca, scire laborans,
An colerent verâ relligione DEVM.
Quos fecisse suis audit contraria jussis,
Dant illo pœnas præcipiente graves.
Propterea patrios procerum pars magna penates
Mutant, Cnutonem navigioq; petunt.
Illic se patrijs queritantur sedibus actos,
Et non per Regem pace licere frui.
Malleq; se dicunt omnes parere Canuto,
Pro libitu ut faciant fanda nefanda suo.
His motus, magnum contraxit militis agmen,
Norvagiam cupiens subdere Marte sibi.
Audijt ut Crassus *(famâ referente)* Canutum
Colligere armatos agmina densa viros.
Auxilium implorat Suecorum Regis Amundi,
Qui Fonschone satus de genitore fuit.
Inde petunt Danos instructis classibus ambo,
Pagos devastant & populantur agros.
Scanica Rex Sueonum; Selandica vastat Olaus
Prædia; vulcano tecta furente ruunt.

Interea veniens ingenti classe Canutus,
Suppetias Danis, auxiliumq; tulit.
Est statio profugis aptissima navibus amnis,
Qua subit æquoreas Helga sonorus aquas.
Hic aliquot nostri noctesq; diesq; morantur,
Venturos hostes undiq; fama refert.
Milite mox sylvam transit comitatus Olaus,
Invenitq;, amnis profluat unde lacum.
Ostia congestis lignis & cespite multo
Obstruit, & cursum continuare vetat.
Inq; lacum fodiens rivos deduxit, & amnis
Sic subito ductis accumulavit aquis.
Exundansq; suo latè omnia gurgite complet,
Prata natant, valles herbiferæq; natant.
Appulit his actis instructa classe Canutus,
Victor ut hostiles occupet arte rates.
Protinus è portu Sueonum Rex solvit Amundus,
Exhortans socios in fera bella suos.
Sed sævo Danus concurrere noluit hosti,
Sol erat hesperias nam subiturus aquas.
Demissis igitur subit ostia remige velis,
Et sistit volucres anchora jacta rates.
Forte manus Danaum naves egressa sub ortu
Auroræ, pedibus littora grata premit.
Mittitur extemplo, Regi qui nuntiat hostes
Advenisse; rates & religasse suas.
Mox dedit aggeribus ruptis erumpere flumen
Crassus, ut hostilem perderet arte manum.
Hocce ruit magno sonitu, magnoq; fragore,
Et secum spumans obvia quæq; rapit.
Hostes ad ripam spaciantes obruit omnes,
Atq; sub horrisonas vortice torquet aquas.

Brachia

Brachia nequicquam feriunt luctantia fluctus.
Profuit hic illis fortibus esse nihil:
Namq; mari sese cumulatis fluctibus infert,
Cum fremitu volvens, corpora, ligna, trabes.
Flumine mox poto, multæ (miserabile visu)
Merguntur naves, intereuntq; viri.
Sed pars districto feriunt retinacula ferro,
Præcisis, vitæ consuluere suæ.
Anno Norvagiam petit inte Canutus eodem,
Navibus, & regni sceptra gerenda capit.
Quæ dedit Hacquino Iarlo (fuit ille sororis
Filius) in patriam vela daturus humum.
Hic postquam rerum moderamina cepit Olaum,
Expulit, expulsus quo veniente, fuit.
Ergo Ruthenorum fugiens petit ille Monarcham,
Iarlenum, tota concomitante domo.
Proxima cum campos ornaret floribus æstas,
Et decorata suis frugibus arva forent.
Iarolus occiduos vento petit ipse Britannos,
Advehat ut sponsam navibus inde suam.
Quid fit? cum socijs perit ille furente profundo,
Cum daret ad patrios lintea versa Lares.
Hoc ubi Biornoni perlatum venit ad aures,
Stallero Regis, qui Mareschalcus erat.
Accessit Russos vectus properante Caballo,
Insanis mersum fluctibus esse refert.
Rex igitur cupiens solio, sceptrisq; potiri,
Patria, conscripto milite, rura petit,
Ut Stavum ducens tria millia venit Olaus,
Digerit armatos ordine ritè viros.
Mox Sticlestadium properans tendebat, & hoste
Conspecto, fecit talia verba suis.

Nos quamvis ſuperent numeroq; & viribus hoſtes,
Noſtra tamen nullo corda pavore tremant.
Quiſquis recta facit cultor pietatis & æqui,
Huic fert ſuppetias, auxiliumq; DEVS.
Non ſemper vincit, numero qui vincere fertur,
Victorem pietas, juſtaq; cauſa facit.
Nunc Chriſtiq; crucisq; viri, Regisq; viri nunc
Procedant, ipſis Symbolon illud erat.
Dixit, & intrepidus denſos prorumpit in hoſtes,
Quos decies numero mille fuiſſe ferunt.
Concurrunt acies, multi cæduntur utrinq;,
Terraq; fumanti ſparſa cruore rubet.
Tunc ſatus antiquo Toſtanus ſtemmate, Sancti
Fatifero Regis vulnerat enſe genu.
Sanguinis erumpit torrens, gladiumq; cruentum
Abijcit, (hic Neither nomine dictus erat.)
Saxoq; incumbens palmas ad ſydera tendit,
Commendans ſummo ſe precibusq; Deo.
Hundus in orantis condebat viſcera ferrum,
Sed gladio ſævus guttura Calvo ferit.
Mox heros animam per vulnera reddidit, annos
Quindenos regni cum tenuiſſet opes.
Tunc à Virgineo partu quadriennia ſeptem
Implerant curſum denaq; ſecla ſuum.
Si tanti Heroïs monumentum fortè requiris,
Condita Nidroſiæ corporis oſſa cubant.
Exitus hic tanti fuerat finisq; Monarchæ,
Vix unquam major quo pietate fuit.
Pacis amans, placidâ populos in pace regebat,
Dum licuit, melius qua nihil orbis habet.
Impavidus ſubijt dubij diſcrimina Martis,
Pro patriâ quoties bella gerenda forent.

Testis erit rigido ditissima Suecia ferro,
Et bobus dives Dania testis erit.
Regis Adelrodi tres annos vixit in aula,
Inter Magnificos primus honore viros.
Sæva sub illius miscentem prælia signis
Vidit frugiferis Anglia dives agris.
Consilijsq; utens prudentum condidit æquas
Leges, subjectis justaq; jura dedit.
Multa recognoscens addebat legibus, atq;
Dempsit, Adelsterio quas bonus ante tulit.
Quæ sunt in magno pretio, semperq; manebunt,
Donec justitiæ nobile nomen erit.
Parva loquor: veræ flagrans pietatis amore,
Hostibus hic Christi maximus hostis erat.
Multaq; consilijs Grimchili præsulis usus,
Sancijt in laudes optime Christe tuas.
Hic jus Christiadum statuit, gentemq; rebellem
Cogit salvificis tingere corpus aquis.
Insuper Islandis, alijs & gentibus illo
Auspice sunt verbi dogmata sparsa Dei.
Singula quid referam? cultus abolere profanos
Divorum, Regi maxima cura fuit.
Salve Dive Heros, regum celeberrime salve,
Sceptra sub arctoo qui tenuere polo.
Sydera dum volvit cælum, tua gloria vivet,
Semper erit nomen, fama, decusq; tuum.

Condidit hic etiā Sarosburgi mœnia firma,
In quo Grammaticæ prima elementa bibi.

SVENO CANVTI MAGNI
Regis Daniæ Filius, XI. Rex Norvegiæ.

Occiso CRASSO succedit Sueno Canuti,
Et gestanda brevi tempore sceptra capit.

Is ſimul ac rerum cepit moderamina, leges
Abrogat antiquas, conſtituitq́ novas.
Duriter & juſtè procerum populiq́ querentis
Ignescens odium contrahit ille ſibi.
Nobilitas igitur Magnates taxat Olaum
Perdere, qui regem conſuluere pium.
Quàm vobis dederat Rex munera magna Canutus,
Promiſſis fecit non ſatis ille ſuis.
Bella quod unanimes regi moviſtis Olao?
Quàm benè promiſſis Cnuto ſtat iſte ſuis.
Conſultant igitur, qui poſſint pellere regno
Suenonem, miſeris vel jugulare modis.
Non perfecit enim promiſſa, nec altius illos
Evexit, ſicut pollicitatus erat.
Quapropter Calvo bellator, & acer Enarus
Tambeſchelverus Ruſſica regna petunt.
Et Magno authores ſunt, ut ſibi fortibus armis
Conetur patriam conciliare ſuam.
Utq́ ſuo poſſet Suenonem pellere regno,
Jurantes certam pollicitantur opem.
His rerum incubuit magnarum cura duobus,
Nam caput ingenuæ nobilitatis erant.
Rex igitur patrij ſtimulante cupidine regni,
Contraxit Suetico Magnus in orbe manum.
Nidroſiamq́ fero ſtipatus milite rectà
Contendit, vires auxit ibiq́ ſuas.
Ut Magnus magna venit comitante Phalange,
Mox cepit celerem Sueno parare fugam.
Nil etenim fidit populo, cui durus & aſper,
Tradita cum regni ſceptra teneret, erat.
Sic ferus imperio quinos quod geſſerat annos
Excidit, & patriam claſſe petebat humum.

MAGNVS DIVI OLAI FILIVS, Cognomento BONUS, XII. Rex Norvegiæ.

Designat Regem, pulso Suenone, Senatus
Magnum, qui magnus nomine reqꝫ fuit.
Dania tum Regi parebat tota Canuto,
Cognomen duri quem tenuisse liquet.
Ambo jubent validas armari in bella cohortes,
Et cogi armatas, vere sequente, manus.
Ambo collatis statuunt confligere signis,
Quâ subit æquoreis Albia purus aquis.
Bahusumqꝫ suis arcem complectitur ulnis,
Quæ jacet in celso vix capienda loco.
Huc ubi florentes annis vernantibus ambo
Venerunt, magnâ concomitante manu.
Vtraqꝫ nobilitas pacem suadere laborat,
Regibus & bellum composuisse studet.
Persuasi faciunt inter se fœdera pacis,
Factaqꝫ pax tali conditione fuit.
Vt superexistens regno frueretur utroqꝫ,
Proles defuncti si modo nulla foret.
Hoc juramento pactum firmabat uterqꝫ,
Illud confirmat nobiliumqꝫ chorus.
Cum magnus septem tenuisset sceptra per annos,
Acceptus plebi, nobilibusqꝫ suis.
Deseruit moriens Lumen vitale Canutus,
Tota sub imperio Dania cujus erat.
Hoc ubi perlatum Regis pervenit ad aures,
Instructa Danaum classe petebat humum.
Imperij cepit fasces & Sceptra relicta,
Cum sine defunctus prole Canutus erat.

E *Acciti*

Acciti coëunt proceres, regemq; salutant,
Et dant imperij Sceptra gerenda viro.
Viburgiq; capit (procerum presente corona)
Fasces, & forti sceptra ferenda manu.
His actis; Regno Suenonem præficit ille
Estricium, patrij rura petitq; Soli.
Callidus hic Sueno procerum populiq; favorem
Totius studuit conciliare sibi.
Et regni aspirans ad sceptrum fœdera frangit,
Nec tenuit Regi quam dedit ante fidem.
Vrbs in Vandalia longè celeberrima Magni
Tempore, Iulinum turba propinqua vocat.
Ampla situ, circumductis firmissima muris,
Marte potens, opibus splendida, clara viris.
Excutit illa jugum Danisq; subesse recusat,
Confidens opibus, militibusq; suis.
Audijt vt Magnus, numerosum militis agmen
Cogit, Iulinum classeq; vectus adit.
Terruit adventu cives, urbemq; locatis
Turrigeram castris obsidione premit.
Expugnat tandem superatis civibus urbem,
Et parere suo compulit imperio.
Ignibus absumit Pagos, metit obvia ferro,
Tecta ruunt, passim corpora strata jacent.
Inde petit Danos spolijs ornatus opimis,
Milite demisso nectit ibiq; moram.
Vandalus interea validas in bella phalanges
Armat, & Holsati ducit in arva soli.
Namq; ulciscendi stimulis ardebat & ira,
Statq; animo fixum reddere Marte vicem.
Rex igitur multo se rursus milite firmat,
Et se victorem spes fore certa fuit.

Namq;

Namq; videbatur cum membra quiete levaret,
Stravisse hostiles ense furente manus.
Sæpe futura pijs infundit rector Olympi,
Languida cum dulci membra quiete levant.
Adjuvat auxilijs Regem fortissimus heros
Ottho, qui princeps Brunopolensis erat.
Huic Vluilla soror Magni præclara Monarchæ,
Sacro connubij fœdere juncta fuit.
Quà spectanda jacet tectis Slesviga superbis,
Vrbs antiqua, situ pulchra, virisq; potens.
Excepit strictis adversos ensibus hostes,
Corpora victrici multa necatq; manu.
Vt leo magnanimus reliquisq; animantibus horror,
Invadit validas lata per arva boves:
Haud aliter Magnus, furibunda percitus ira,
Prosternit gladio proxima quæq; truce.
Vtq; secant spicas messores sole perusti:
Sic hostes Magno percutiente cadunt.
Multa jacent passim miseranda cadavera campis,
Sparsaq; Vandalico sanguine terra rubet.
Donec ad extremum quindenis millibus hostes
Occisis celeri dant sua terga fugæ.
Postea miscentem ter vicit prælia Magnus
Estritium, cogens vertere terga fuga.
Ergo petit Sueonum profugus ditissima regna,
Affectans regnum, traxit ibiq; moram:
Tantisper Magnus dum viveret inclytus heros,
A quo, bella movens, ter superatus erat.
Hæc Magno magnam peperit victoria laudem,
Illius & toto nomen in orbe volat.
Paulo post vidit morientem Cimbrica tellus,
Qui tamen æternum vivere dignus erat.

 Percha-

Percharus populo, cælo charissimus heros,
Annos regnavit binaq; lustra duos.
Porrigit ad Nidæ quà se Trondemia ripas,
In Clementinâ conditus æde jacet.
Rex fuerat Magnus nulli bonitate Secundus,
A quâ conveniens nomen adeptus erat.
Illo nil probius, nil munificentius illo,
Nil eodem majus Norgica terra tulit.
Huic populus, regni proceresq; ex corde favebant,
Sæpe quibus varijs profuit ille modis.
Hunc Magnum reliquis major coma significavit,
Haldane in Somnis quæ tibi visa fuit.
Sicut enim viridem tetigit longissima terram,
Et vicit reliquas magna nitensq; coma:
Sic reliquis idem regnavit latius armis,
Major in Arctoo nullus in orbe fuit.
Vandalus & Saxo testantur, millia quorum
Multa dedit victor Marte favente neci.
Sæpe jocabatur cum charis lætus amicis,
Fallens jucundis tempora longa jocis.
Illum magnificis ornabant laudibus omnes,
Inq; oculis dignum quisq; tulere suis.
Quid moror in parvis? magnus sub pectore Magni
Flagravit sacræ relligionis amor.
Ergo prius Sarpus mutabit Nidaq; cursum,
In vada qui rapidis salsa feruntur aquis:
Quàm Magni famam delebit longa vetustas,
Gloria quàm tanti mortua Regis erit.

HARAL-

HARALDUS Cognomento HARDRADVS i. e. DVRVS, SIGUARDI SIRI Filius, & Frater Sancti OLAI uterinus, XIII. Rex Norvegiæ.

HEros magnanimus Magno ſucceſſit HARALDVS,
Imperij conſors qui tamen ante fuit.
Hic adijt vitæ numerans tria luſtra Ruthenos,
Jllic Virtutis dat documenta ſuæ.
Namq; ſub auſpicijs Iarleni prælia ſæpe
Miſcuit, & fuſo victor ab hoſte redit.
Jllic permultas arces expugnat & urbes
Munitas, magnum promeruitq; decus.
Hinc ad Byzanti tendens proficiſcitur urbem,
Claſſi Reginæ præficiturq; Zoës.
Tum petit inſtructis ſitientes navibus Afros,
Ducit ubi longam, bella geritq;, moram.
Illic vicenas quater urbes cepit & arces,
Illic immenſas & cumulavit opes.
Congeriemq; auri ſervandam miſit amicis,
Quos fovit duris Ruſſia plena viris.
Hinc adijt Siculos ventoſa per æquora vectus,
Agmineq; immiſſo depopulatur agros.
Hinc ad Trinacrium multas quæ poſſidet urbes
Navigat, adventu terrificatq; ſuo.
Adde quod antiquam Solymorum viderit urbem,
Qua fuit in toto pulchrius orbe nihil.
Quodq; ſacro dederat non munera parva ſepulchro,
Unde reſurrexit filius ipſe Dei.
His actis, clarus repetit Byzantia victor
Mœnia, quæ noſtro tempore Turca tenet.

Vt rediit victor spoliis oneratus opimis,
Vinctus Manomacho præcipiente Rege.
Quid fuit in causâ? vinclo sociare jugali
Reginam prorsus noluit ille sibi.
Attamen hæc aliam prætendit callida causam,
Nimirum raptas quod sibi servet opes.
Expetere illius ne quis connubia credat,
Tam mulier cautè rem gerit ecce suam.
Sed quædam dives dimisso fœmina fune,
Liberat inclusum nocte silente ducem.
Nec mora, se sociis cum fidis armat, & ædes
Expugnat, somnum Rex ubi forte capit.
Evulso rigidi procumbunt cardine postes,
Effractis foribus Monomachumq; capit.
Monomachum, cujus mandato in carceris umbras,
Missus cum famulis ille duobus erat.
Lumine constrictum vinclis privavit utroq;,
Lumina ne solis clara videre queat.
Sic ultus Regem, patrias remeavit in oras,
Norgica cum patruo regna regitq; suo.
Iuraq; cum Magno dedit inde reversus, & anno
Elapso, solus regia sceptra tenet.
Magnus enim moriens lumen vitale reliquit,
Quo majus vidit Norgica terra nihil.
Postea Cymbrorum devastat plurima ferro
Prædia, permultas & cremat igne domos.
Afflicti miserè plorant sua damna Coloni,
Testantur lachrymis tristitiamq; suis.
Ignibus evertit Slesvigam funditus urbem,
Quæ jacet Holsato conspicienda solo.
Hac terra viginti onerat Spoliisq; carinas
Ingentes, rapidis vela deditq; Notis.

Insequi-

Insequitur Sueno majori classe Monarcham,
Non tamen hostiles occupat ille rates.
Namq; intervallo parvo cum cerneret hostem
Hardradus, sese classe volante sequi.
Proijcit in salsos tonnas & inania fluctus
Scrinia, captorum præcipitatq; gregem.
Quos simul ac vidit fluitantes gurgite summo,
Expositis Cymbis ferre jubebat opem.
Interea Hardradus tumido per marmora velo
Labitur, hostiles hac fugit arte manus.
Postea Suenoni legato prælia misso
Indicit, magnam colligit atq; manum.
Vt quicunq; ferat palmam potiatur utroq;
Regno devictis imperitetq; viris.
Ver erat & volucres mulcebant æthera cantu,
Frondebant Sylvæ, gramen habebat humus.
Magnus conscendit bis centum navibus æquor,
Et fortes Danos, per mare vectus adit.
Obvius excepit venientem Sueno trecentis
Navibus, Hallandos quâ ferit unda maris.
Pars procerum regi (conspecta classe Danorum
Ingenti) suadent accelerare fugam.
Lintea vertamus nihil est concurrere ferro
Tam multis, præstat vertere terga fugâ.
At heros animi plenus, mox talibus infit,
Arripiam turpem proptereane fugam?
Ante super socium socius cadet, ense peremptum,
Quàm vertam turpi terga probrosa fugæ.
Dixerat extemplo clangor sonitusq; tubarum
Exoritur, pugnæ seq; repente parant.
Pars sinuat arcus, nervis aptantq; sagittas,
Pars stringunt gladios, corripiuntq; suos.

Nec

Nec mora, rostratæ concurrunt æquore puppes,
Et miscent signis prælia sæva datis.
Crudescunt pugnæ, multi cæduntur utrinq;,
Sed Danaum major pars tamen icta cadit.
Caligat plenus telis stridentibus æther,
Grandinis in morem quæ per inane volant.
Pars gladijs confossa ruit, pars icta sagittis,
In foris passim corpora strata jacent.
Extrahit hic sibi lethiferum de vulnere telum,
Nequicquam, rivos sanguinis ille vomit.
Desiliunt alij ponto, jactantq; per undas
Brachia, sed superest nil nisi triste mori.
Fluctibus ingentes hominum jactantur acervi,
Hic fluitat vivus, mortuus ille natat.
Corpora miratur Triton fluitantia ponto,
Et stupet infectas sanguine Thetis aquas.
Si mihi plura forent cum linguis pluribus ora,
Attamen haud digne cuncta referre queam.
Intereá Titan exactâ luce reducit
Noctem, stelliferi signa micantq; poli.
Ambo tamen rigido pergunt decernere ferro,
Tanta sitis regni, tanta cruoris erat.
Plurima per totam contorquens spicula noctem
Hardragus letho millia multa dedit.
Quotq; jacit nervo rapidas stridente sagittas,
Trajecti ferro, tot cecidere viri.
Quis stragem illius noctis quis funera fando
Explicet? ut segetes hostica turba cadunt.
Nec minor Haquini cædes, more ille Leonis
Perfurit, & ferro proxima quæq; metit.
Ast ubi se vidit non posse resistere Sueno,
Navibus amissis septuaginta fugit.

Tunc

Tunc fugiunt reliqui rapido velocius Euro,
Profuit hic illis pluribus esse nihil:
Quas nostri prorsus vacuarunt cædibus omnes,
Sternentes miseris obvia cuncta modis.
Fallitur humanis confidens viribus, hostes
Est nihil, adverso vincere velle Deo.
Sæpe solet vinci confidens robore multo,
Inferior numero vincere sæpe solet.
Post hæc Asloïam (cujus fundamina jecit,)
Præclarus populo victor ovante redit.
Illic à multis virtus laudatur Haquini,
Haud pauci cujus procubuere manu.
Ast ubi rex audit Danaum texisse Monarcham,
Sternere quem gladio debuit ille suo.
Commeritum patriâ cogit decedere terrâ,
In fiscum redigit quicquid habetq; suum.
Exactis annis post prælia facta duobus,
Danus cum nostro fœdera rege facit.
Haraldo dives tunc paruit Anglia Iarlo,
Vertere Tostanum compulit ille solum.
Hic petit Hardradum patrijs exactus ab oris,
Adversus fratrem poscit egenus opem.
Orat ut Angliacas se classe reducat in oras,
Optato pulsum restituatq; loco.
Ergo Caledonijs facturus prælia classem
Instruit, adq; illos carbasa tensa dedit.
Quo simul ac venit ferro grassatus & igne
Vulcanus flammis, Mars furit ense ferox.
Audijt ut nostros latè grassarier Anglus,
Contrahit ingentem protinus ille manum.
Congrediturq; ferox hosti, gladijsq; tueri
Lethificis patriæ nititur arva suæ.

F Æquo

Æquo Marte diu pugnatur, utrinq; cadebant
Non pauci, calido sanguine fumat humus.
Brutigenis tandem Mars auxiliatur, ut hostes
Sternant, in celerem conijciantq; fugam.
Vidit vt Hardradus stragem, cædemq; suorum,
Membraq; militiæ strata jacere suæ.
Irruit in medios expers formidinis hostes,
Statq; animo fixum vincere sive mori.
Vndiq; circumstant acies densæq; phalanges,
Includunt regem magnanimumq; stupent.
Obvia lethifero quævis metit ense Leonis
More furens, aperit cæde manuq; viam.
Et quocunq; ruit cedunt versa agmina retro,
Ipsum nam contra tendere quisq; timet.
Vt veniente fugam Boreâ dant nubila cælo,
Sic quacunq; ruit cedere cuncta loco.
Quisq; timet Regi stricto concurrere ferro,
Est animus nulli conseruisse manus.
Ergo omnes uni certant dare vulnera telis,
Tempora quæ circum grandine plura volãt.
Aureaq; assiduo cassis scutumq; strepebant
Tinnitu, tantus ferreus imber erat.
Nec clypeo valuit subsistere rex neq; dextra,
Nil gladius juvit, nilquè manus valida.
Fortiter innumeros igitur dùm sustinet unus,
Trajectus telo Rex volitante cadit.
Vicenos postquàm regnans exegerat annos,
Exitus hic Regis bellipotentis erat.
Transvectum tumulo condit Trondemia funus,
In sacra divæ Virginis æde jacet.
Tunc mille exacti post partum Virginis anni
Cum sexaginta terq; duobus erant.

Rex

Rex erat Haraldus non belli laudibus ullis
Inferior, quorum nomen in orbe viget.
Hunc referent gentes varijs Regionibus ortæ,
Et super æternis laudibus astra vehent.
Nam procul à patrijs laribus fortissimus heros,
Gessit victrici plurima bella manu.
Hoc Russi & Græci referent Africiq; rebelles,
Hoc Siculi fortes, hoc referentq; Dani:
Non impunè illi se quis tulit obvius unquam,
Pugnantemq; omnes obstupuere virum.
Terga dedit nunquam victus, sed fortiter hostes
Sustinuit, nunquam deseruitq; suos.
Norvegum dici meruit quapropter Achilles,
Et murus patrij præsidiumq; soli.
Pulchrius & majus vel munificentius illo,
Viderunt Solis lumina clara nihil.
Alter ut Æneas terris jactatus & alto,
Non vidit patriam per duo lustra suam.
Eventu rerum felix sapientior unus
Multis, consilijs extiteratq; celer.
Corpus procerum, firmum patiensq; laborum.
Ac ulnis longum quinq; fuisse ferunt.
Imperij valdè studuit protendere fines,
Adijcere & regno ditia regna suo.
Vnum non laudo, fuerit quod durior æquo,
Delicto pœnam convenit esse parem.
Adde quod extruxit non parvis sumptibus ædem.
Quæ de Christipara Virgine nomen habet.
Nec non Aslojam fundavit conditur urbem,
Quam dirimunt undis flumina bina suis.
Flumina quæ salsas hinc devoluuntur in undas,
Qua subit occiduas Phœbus Ephœbus aquas.

Parrhasiæq; notat rutilantia Virginis astra,
Sex fermè decies inde remota gradus.
Salve magne heros, si quid mea carmina possint,
Delebunt laudes secula nulla tuas.

MAGNUS ET OLAUS, COGNOMENTO CHYRRO vel QUERRHO i.e. QUIETUS, HARALDI HARDRADI Filij, XIV. & XV. Reges Norvegiæ.

POst obitum patris Magnus cum fratre tenebat,
Annos imperij sceptra relicta duos.
Elapsisq; annis vitam mundumq; reliquit
Nidrosiæ, juxta conditus estq; patrem.
Omnibus acceptus fuerat charusq;, quod omnes
Assiduè Magno cura juvare fuit.
Hinc frater solus, solio sceptrisq; potitur,
Illi cognomen nobile Chyrro fuit.
Pacis enim studium coluit, fera bella perosus,
Qua nihil utilius maximus orbis habet.
Pace vigent artes, sacra dogmata pace docentur,
Pace vigent Leges, Pieridesq; canunt.
Tuncq; suo pingues invertunt vomere glebas,
Agricolæ, & segetum fœnora magna metunt.
Oppida nulla suis viduantur pace colonis,
Et nullus metuit tutus ab hoste necem.
Nulla jacent unquam prostrata cadavera campis,
Occisum queritur nulla marita virum.
Nemo videt flammis eversas funditus urbes,
Tristia natorum funera nemo videt.
Non gemit abreptos mater sua pignora natos,
Ad fœdum rapitur nulla puella stuprum.

Nemo

Nemo videt fuso conspersos sanguine campos,
Nemo peregrino captus in ore dolet.
Non ullus populatur agros, aut deripit urbes,
Carpit iter metuens hospes ab hospite nil.
Fœdere tunc passim thalami junguntur amantes.
Tunc intrat sponsi, sponsa cubile sui.
Ergo colant Reges pacem fera bella perosi,
Ulla lacessiti nec nisi bella gerant.
Sed quo digredior? studiosè commoda regni
Quæsivit patriæ; nam pater ille fuit.
Ornavit patrias tectis sublimibus urbes,
Cultibus utq; novis hasce nitere facit.
Sumptibus immensis Bergensem condidit urbem,
Quæ sua de duro nomina monte tenet.
Illic & summi posuit fundamina templi,
Turri quod tangit sydera celsa sua.
Majorem reliquis pompam ducebat Olaus,
Cum caperet lautos fercula grata cibos.
Rege sub hoc aulæ patruus sordebat amictus,
Ridiculâ & quivis corpora veste tegit.
Est locus Haubogum dicunt, qua Vigia fluctus
Audit, & irati murmura crebra maris.
Hic ubi bis denos & sex regnaverat annos,
E vivis cessit, deseruitq; suos.
Virginis à partu, tres anni mille novemq;,
Tunc cursum implerant lustra bis octo suum.

MAGNUS BARFODIUS COGNOMENTO, OLAI CHYRRONIS Filius, & HAQUINUS MAGNI Filius; patrueles, XVI. & XVII. Reges Norvegiæ.

MArte potens Magnus chari post funera patris,
Cum patruele suo sceptra regenda tenent.

Hic ubi Nidrosiæ nomen titulumq; tulisset
Regalem, Oplandos per juga montis adit.
Montis stelliferum tangentis vertice cælum,
Rustica quem Dogram nomine turba vocat.
Illic ante diem moritur, Trondemia fatis
Exempti tumulo condita membra tegit.
Hunc totus fato populus deflevit ademptum,
Sedula quod cunctos cura juvare fuit.
Postea Barfodius moderatur solus habenas,
Cui semper Cordi ducere bella fuit.
Flammis & ferro grassantem Hallandia vidit,
Sollicito trepidans ancipitiq; metu.
Hinc ubi natales rediisset Magnus in oras,
Exuvias referens & spolia ampla domum.
Orchadas armatis transmittens classibus æquor
Occupat, imperio subdidit atq; suo.
Cepit ibiq; duos Iarlos, natumq; subactis
Sigvardum populis præficit ille suum.
Inde Suderotas petijt, populatur agrosq;,
Et vastat flammis obvia cuncta sibi.
Mox profugi patrios multi liquere Penates,
Inq; alijs quærunt tecta domosq; locis.
Sed se subjecit populi pars maxima Regi,
Ne mutent sedes destituantq; suas.
Hinc Thylem, Satyram, & Niclum petijtq; Manoras.
Hasq; omnes cogit Marte subesse sibi.
Mox adit Hybernos Scotosq; per æquora vectus,
Et dedit in multis maxima damna locis.
Absumpsit flammis pagos urbesq; potentes,
Et prædam multo milite fretus agit.
Inde Caledonios placuit tentare Britannos,
Et decus eximium Marte parare sibi.

Anglica

Anglica dum fluctus sulcat prope litora Iarlos
Conspicit armata classe venire duos.
Mox ruit intrepidus venientibus obvius illis,
Et mittit Letho corpora multa virum.
Pugna ferox oritur, cædesq; miserrima, ritu
Tela nivis volitant, unda cruore rubet.
Iarolus hic unus cecidit cognomine Prudus,
Ast alter strato milite terga dedit.
Hinc ad Scotigenas rursus sua Carbasa torquet,
Adventu terret Melcholimumq; suo.
Propterea missis legatis talia Scotus
Fœdera cum Magno-bellipotente facit.
Omnis ad occiduum jaciens latus insula terræ,
Pareat atq; illi justa tributa daret.
His actis, clarus victor spolijsq; superbus,
Natalis repetit dulcia rura soli.
Postea cum Sueco de Regni limite certat,
Imperium cupiens amplificare suum.
Nam nihil ad Sueones putat id spectare profundi,
Ad Weneri Occiduum quod jacet omne latus.
Hanc igitur statuens armato milite causam
Finire, in Sueones bella cruenta movet.
Ingressus Sueonum numerosóq; agmine fines,
Teruit agricolas, expoliatq; bonis.
Absumitq; casas, flammis crepitantibus ædes
Vulcanus, magno tecta fragore cadunt.
Cunctis in prædam multi fugiuntq; relictis,
Occultis nemorum se latebrisq; tegunt.
Pars spectant patrios mœsti de rupe penates,
Spargentes lachrymis ora genasq; suis.
Quid multis? tandem sibi Magnus cuncta subegit,
Ad latus Occiduum quæ jacuere Lacus.

Proxima

Proxima cum campos ornaret floribus æstas,
Sylvaq; rideret condecorata comis.
Qua Congelfuga jacet fluvij contermina ripæ,
Conventus (Igno, Magnus, Ericus) agunt.
Illic unanimes componunt fœdera pacis,
Mox dat Lætitiæ, plebs nova signa suæ.
Illic & Magnum (Sueones ne Marte lacessat,
Infestus) generum deligit Igno sibi.
Cumq; novem Magnus tenuisset sceptra per annos,
Rursus ad Hybernen turgida vela dedit.
Illic Difflinum numeroso milite cepit,
Metropolis regni quæ populosa fuit,
Perq; hyemem captâ subsistit in urbe moratus
Instruit ac classem Vere sequente suam.
Ast iter adversus Boreas cursumq; moratur
Invitum Regem, detinuitq; diu.
Propterea egressus classem, littusq; reliquit,
Vt fallat tali tempora longa modo.
Fortè viam ingreditur virgultis Magnus utrinq;
Cinctam, nobilium concomitante choro.
Securi nimium, tendunt quo semita ducit,
Verbaq; de varijs plurima rebus erant.
Ast ubi vertebant gressus ad littora, densis
Abdita virgultis hostica turba latet.
Nec mora, tela volant hybernæ grandinis instar,
Perq; auras stridet multa sagitta leves.
Sternitur hic Magnus, magnâ cum parte suorum,
Sed reliqui celeri terga dedere fugæ.
Sic postquam denos tenuisset frena per annos
Imperij, summum clausit in orbe diem.
Tunc binis lustris post natum secula CHRISTVM
Undena addiderant solis euntis equi.

Magnus

Magnus erat nulli belli virtute secundus,
Nam mens alta tulit Martis ad arma virum.
Prælia multa foris gessit feliciter, hostes
Compellens turpi vertere terga fugæ.
Hic est Barfodius celebri cognomine dictus,
Aptè nudipedem lingua latina vocat.
Nam pedibus nudis incessit, quando rediret
Præclarus populo victor ovante domum.
Prudens, magnanimus, sapiens, formosus, habebat
In magno proceres semper honore suos.
His nimis audacem bello dicentibus ipsum,
Responsum solitus reddere tale fuit:
Non Rex sublimi solio sceptrisq; potitur,
Vt numeret vitæ tempora longæ suæ:
Ast ut devictis palmam ferat hostibus acer,
Æternum pariat Marte sibiq; decus.
Miscuit intrepidus collatis prælia signis,
Et multum vario laudis ab hoste tulit.
Magnus habet nullis igitur delebile seclis
Nomen, & illius non morietur honos.

OSTANVS ET SIGVARDVS Cognomento JORSALAFARUS, FRATRES, MAGNI BARFODII Filij, XIIX. & XIX. Reges Norvevegiæ.

à profectione Hierosolymitana.

OStanus patri subijt fraterq; perempto,
Cui cognomentum Jorsalafarus erat.
Hunc juvit bello terras tentare repostas,
Et sibi perpetuum Marte parare decus.
Idcirco multis conscendit navibus æquor,
Angliacaq; undisonum per mare regna petit.

Expansis iterum ventis adit Itala rura,
Queis nil fertilius Phœbus ab axe videt.
Inde ad Galatiam sulcans dat Carbasa fluctus,
Hinc adit Hispanos per mare vectus agros.
Illic occurrut viginti quinq; triremes,
In quibus apprimè barbara turba fuit.
Barbara turba bonos quæ dispoliare solebat,
Suetaq; de rapto vivere semper erat.
Heros extemplo concurrens acriter hostem
Occisis multis vertere vela docet.
Pyratæ amissis fugiebant navibus octo,
Et tergo accipiunt verbera multa suo.
Post arcem multo cingebat milite Sintram,
Quam tenuit veri nescia turba Dei.
Irrumpit fractis portis cunctosq; trucidat,
Qui nolunt sacris tingere corpus aquis.
Mox urbem (cujus fundamina jecit Ulysses)
Obsidet, oppugnat exanimatq; metu.
Ejus ad occiduum flammis latus omnia vastat,
Hostiles latè depopulatus agros.
Hic inijt septem collatis prælia signis,
Et palmam victo semper ab hoste tulit.
Inde subacturus Majorchum classe petebat,
Strenuus hostiles stravit ibiq; manus.
Nunc loca Navarræ, Siculosq; accessit, & illic
Prædando magnas accumulavit opes.
Post adijt Solymam diversa per æquora vectus,
Qua nihil in toto pulchrius orbe fuit.
Et nando vitreum transmisit Iordanis amnem,
Baptizatus ubi dicitur esse DEUS.
Acceptoq; crucis frusto, cui Christus amaram
Affixus mortem duraq; fata tulit.

Ad

Ad Byzantinam tendebat navibus urbem,
Quam nostro immitis tempore Turca tenet.
Audijt ut Cæsar Regem venisse potentem,
Illi portarum pandere claustra jubet.
Præterea ut magno Rex ingrediatur honore,
Ostrinis pannis sternere mandat humum.
Illic ut vidit varijs discursibus errans,
Spectatu dignum quicquid in urbe fuit.
Bulgariam petijt frenis Phalerisq; superbo
Cornipedi insidens, Ungariumq; solum.
Protinus accessit præstantes Marte Suecones
Fortè quibus nomen Suevus habere dedit.
Hinc in Bavariam proficiscitur inclytus heros,
Henricus præsens tunc ibi Cæsar erat.
Qui sua deduci curat per regna Monarcham,
Huc ubi Slesvicum mœnia clara micant.
Illic excipitur magno Sivardus honore,
Ingrediens alacri mœnia vectus equo.
Inde adijt Cymbros Danaum comitante Monarcha,
Nicoleus nomen quem tenuisse ferunt.
Quas simul ac venit pulchrè comitatus in oras,
Conscensâ patriam nave petebat humum.
Abfuerat quatuor cum lustris lustra duobus,
Tres annos dictis vixerat inq; locis.
Desidis Ostanus non egerat ocia vitæ,
Horrida Germano bella gerente foris.
Quinq; sed insigni flagrans pietatis amore,
Artifici curat templa labore strui.
Præterea magnis erexit sumptibus idem,
Munclinum quoddam nobile cænobium.
Cui, templisq; quibus dederat donaria largus
Annua, ceu prisco tempore moris erat.

 Illius

Illius effecit sapientia mira, priores
Quod reges armis non potuere suis.
Huic subjecit enim sine cæde & sanguine tellus
Jemptica, quæ Suecis ante tributa dedit.
Hustadij ducens positis convivia mensis,
Corripitur morbo, duraq; fata subit.
Nidrosiam funus transfertur ibiq; sepulchro
Infertur, lacrymis plebe rigante genas.
Tunc adeò multi sua fletibus ora rigabant,
Vt plures ullum vix gemuisse putem.
Imperij tenuit bis denos sceptra per annos,
Ostanus columen laus patriæquè pater.
Ornavit patrias templis sublimibus urbes,
Nunc ubi pastores dogmata sacra docent.
Præsignis facie, sapiens, sermone disertus,
Fallebat varijs tempora longa jocis.
Æquus, consilio prudens, legisq; peritus,
Acceptus populo nobilibusq; fuit.
Postea Sivardum bello tentare juvabat,
Smolandos multis & spoliare bonis.
Armatis igitur transmittens classibus æquor,
Calmariam vento concomitante venit.
Huc ubi pervenit pagos populatur & agros,
Captivumq; pecus lata per arva trahit.
Et ne vastaret flammisq; absumeret ædes,
Sivardus populo dante tributa tulit.
Centum quindecies bobusq; ad littus abactis,
In patriam rursus carbasa tensa dedit.
Hybernis venit, tum fortè Haraldus aboris,
Illic Barfodio dè genitore satus:
Esse suum fratrem, tamen alter credere nolens,
Ardenti vomeres ponit in igne novem.

Hoc

Hos super incedit candentes jussus Haraldus,
Nudatis plantis fecit eiq́; fidem.
Vidit ut incolumes plantas miratur, & ipsum
Barfodio credit de genitore satum.
Non tamen imperij consors est factus Haraldus,
Regia Germano sceptra tenente suo.
Vrbs vetus est nomen cui Rex fluviusq́; dederunt,
Ad cujus ripas conspicienda jacet.
Hanc rex augebat tectis sublimibus urbem,
Hic legit sedem, constituitq́; suam.
Hic pius erexit non parvis sumptibus ædem,
Nobile de Christi quod cruce nomen habet.
Quam dante accepit Solymorum Rege potente,
Qui Boldevini nomine dictus erat.
Cum sex regnasset defuncto fratre per annos,
Asloja summum clausit in orbe diem.
Illic Halvardi requiescit in æde sepultus,
Expectans reditum maxime Christe tuum.
Tunc mille exacti post partum Virginis anni
Centum viginti, terq́; fuere duo.
Rege sub hoc positis Norvegia floruit armis,
Et passim frugum copia magna fuit.
Non formosus erat, nec erat sermone disertus,
At magnus factis Iorsalafarus erat.
Delitiosa domi non egerat ocia, gentes
Externas juveni visere cura fuit.
Multiplicis nec non idiomata discere linguæ,
Et sibi perpetuum Marte parare decus.
Diversos populos conspexerat oppida longè,
A patrio lustrans dissita regna solo.
Terris & pelago jactatus ut alter Vlysses,
Sustinuit vitæ multa pericla suæ.

 Eventu

Eventu rerum, quo vix felicior Heros,
Ullius ab Harfagrij tempore sceptra tulit.
Optato gessit successu prælia multa,
Hosti virtutis dans documenta suæ.
Testis Iberus erit, Navarira, Galatia testes,
Urbs ab Ulysse mihi condita testis erit.
Rex ubi conflictu quater & ter stravit atroci
Strenuus hostiles Marte favente manus.
Hinc fit in externis longè celeberrimus oris,
Venit & extremos nomen ad usq; Getas.
Constans constanter constantia corda colebat,
Largus opem miseris sæpè ferebat opem.
Crimina connivens non dissimulavit in ullo
Innocuis mitis, sontibus asper erat.
Hos fratres mœsti juvenesq; senesq; gemebant,
Multaq; tristitiæ signa dedere suæ.
Namq; refixerunt leges Suenonis iniquas,
Qui Cnutone fuit de genitore satus.
Impositis populum laxaveruntq; tributis.
Quæ quovis anno solvere jussus erat.
Ergò prius cursum mutabunt Fresus & Almus,
Quàm non illorum fama superstes erit.

MAGNUS Cognomento CAECUS, & HARALDUS GYLLO HYBERNICUS XX. & XXI.

Reges Norvegiæ.

SUccessit patri Magnus Cognomine Cæcus,
Norgica quo vidit pulchrius ora nihil.
Hic nimis impatiens, nimiumq; Severus & asper,
Respuit hortatus posthabuitq; bonos.

Et semper proprio confisus lumine mentis,
Fecit judicio quæ placuere suo.
Indulsit poclis, opes corrassit avarus,
Quæ parit invidiam res odiumq́ viro.
Ast humilis Gyllo parebat recta monenti,
Nil fidens proprio lumine mentis agit.
Sæpe locum precibus facilis clemensq́ reliquit,
Largus opes, largâ distribuitq́ manu.
Hocq́ modo procerum sibi conciliavit amorem,
Proptereaquè suo charus erat populo.
Audijt ut Magnus regni concedit eidem
Dimidium, moveat ne fera bella sibi.
Postea constituit consortem (quattuor annis
Elapsis) patrium pellere Marte suum.
Armat uterq́ igitur validas in bella cohortes,
Inq́ Fyristeno conseruere manus.
Inferior numero licet hostibus esset Haraldus,
Virtute inferior non tamen ille fuit.
Sustinet hostiles tàm Gyllo fortiter (impar
Viribus & numero sit licet ille) manus,
Omnibus ut possit res valdè mira videri,
Tàm paucos multos sustinuisse diu.
Fractus ad extremum longo certamine Gyllo,
Cogitur in celerem vertere terga fugam.
Et mox ad Danaum Regem confugit Ericum,
Illius & supplex poscit Haraldus opem.
Oblatum pugnæ titulum gaudebat Emundus,
Auxilium pulso sponte volensq́ tulit.
Nam sociam vitæ thalamis excluserat ante,
Quæ Danaum Regi sanguine juncta fuit.
Classe igitur magnâ comitatur Ericus Haraldum
Asloiam, cives expoliatq́ bonis.

Mox

Mox dictam flammis abolet superantibus urbem,
Quam dirimunt undis flumina bina suis.
Post totam Daniæ classem transmisit eidem
Auxilio, Magnum quo superare queat.
Hac Gyllo instructus Bergam properabat ad urbem,
Hostibus intrepide congrediturq; feris.
Lumine devictum Magnum privavit utroq;,
Hunc igitur Cæcum sceptra vetusta vocant.
Præterea membris captum genitalibus orbat,
Procreet ultorem ne Venus alma sui.
Postea quid? Magnus Monachorum veste, cucullo
Indutus, solvit vota precesq; Deo.
Qui prius incessit regali tectus amictu,
Vestes rasorum nunc gerit ille Patrum.
Postea Sivardus quidam cognomine Slembo,
Finxit Barfodio se genitore satum.
Arctoo nihil hoc fuerat velocius orbe,
Nam cursu celeres exuperavit equos.
Hic apud Helsenoram, posito cum rege Danorum
Pignore, præcipites exuperavit equos.
Et prior admissis metam tenet ille duobus,
Tam celerem pedibus rex proceresq; stupent.
Hic movet affectans regnum fera prælia regi,
Quid non regnandi prava cupido facit?
Sed capto tandem mortis sententia fertur,
Alto mergendus provehiturq; mari.
Quid fit? ad ingenium damnatus Slembo recurrit,
Cum vidit nullum viribus esse locum.
Impleri potu vectores largiter omnes
Curavit, potis hæcceque verba dedit.
Ante gubernandi detur mihi quæso potestas,
Submersus vasto gurgite quam moriar.

Hoc

Hoc ego nunc saltem mergendus in æquore posco,
Hoc unum ne vos, quæso, negate mihi.
Fit compos voti, Nautasq; hortatus, ut unà
Certarent remis pellere quisq; ratem.
Projecto clavo se præcipitavit in undas,
Et luctans liquidis brachia jactat aquis.
Atq; prius rapidum quàm possit sistere cursum,
Tangebat pedibus littora grata suis.
Acceleratq; fugam in sylvam secumq; volutat,
Perdere Gyllonem qua ratione queat.
Inde per insidias noctu nil tale timentem,
Amplexu perimit Thora venusta tuo.
Extinctus Bergis summâ sepelitur in æde,
Sic justus punit turpia facta DEVS.

INGO Cognominatus KROGBAGIVS, SIVARDUS, OSTANUS Fratres, XXII. XXIII. & XXIV. Reges Norvegiæ.

Tristia regnantes nati post funera Patris
Fasces, & rerum culmina celsa tenent.
Vt belli titulum Sivardus Slembo *gerendi*
Prenderet, ac illos vincere Marte queat.
Eripuit claustris Magnum monachalibus, atq;
Ad Danos ipso se comitante fugit.
Auxilio quorum suffultus, postea natis
Congreditur, noctu Gyllo perempte tuis.
Fratres nil veriti pugnam committere Ponto,
Fortiter hostiles sustinuere rates.
Congressu primo naves videre Danorum,
Octodecim celeri vertere terga fugâ.
Pars defensorum ceciderunt maxima Magni
Trajectus telis, ipseq; fata subit.

H Forti-

Fortiter at cæsis socijs se Slembo tuetur,
Vendicat & navem solus ab hoste suam.
Ad summum pronus defectis viribus undas
Insiluit, frigus tunc licet acre foret.
Quas adversorum resperserat ante cruore,
Forti dans illis vulnera sæva manu.
Occultansq; diu corpus sub gurgite salso,
Haud paucis fecit se perijsse fidem.
Loricam & vestes sub aquis sibi detrahit omnes,
Agnosci ut nequeat liberiusq; natet.
Vt respiraret tandem caput extulit undis,
Longius & fatum non simulare valet.
Confestim captus pœnas dat sanguine fuso,
Namq; prius fusi sanguinis autor erat.
Damnatum primo contundunt inde flagellis,
Saucia contendunt cædere membra suis.
Mox cæsi miserè caput à cervice revellunt,
Vindictæ cupidis non satis illud erat.
Truncatus siquidem trabibus suspenditur altis,
Quadruplici hunc fato quis perijsse neget.
Sævisse in vivum non his satis esse videtur,
Mortua suffigant ni quoq; membra cruci.
Non dedit in summo cruciatu signa doloris,
Slembo sed constans verbera cuncta tulit.
Fortiaq; in summo fundebat verba dolore,
In lætis solitus rebus ut ante fuit.
Et tandem psalmos recitans precibusq; Tonanti,
Sese commendans fata suprema subit.
Huic si non pacem patriæ turbasset amandæ,
Arctoo similis nullus in orbe foret.
Postea conjurant fratres de fratre necando,
Immeritum sævâ vel jugulare manu.

Nam

Nam fratrem gibbo deformem corporis ægrè
Fratres imperij sceptra tenere ferunt.
Hoc ubi vulgavit rumor mox ritè gerendo,
Gregorium bello destinat ille ducem.
Tempore qui miles regni fortissimus illo,
Promptus consilio, promptus eratq; manu.
In quo spes Regis fuit & fiducia solo,
Qui neq; dextrâ habuit qui neq; Marte parem.
Erlingus regni tum Consiliarius acer,
Cui cognomentum nobile Schacco fuit.
Huic Ingo thalami conjungit fœdere sancto,
Christinam natam Iorsalafare tuam.
Quapropter summo proceres dignantur honore
Erlingum, inq; oculis mente libente ferunt.
Post hæc exoritur Bergis sævissima cædes,
Sivardi miles causa caputq; fuit.
Qui de militibus flagranti percitus ira,
Vnum Gregorij sustulit ense ducis.
Militis ulturus mortem dux arma capessit,
Protinus armari mandat & Ingo suos.
Jnvaditq; suum fratrem violentus & atrox,
Cum tenebris orbem nox tegit atra suis.
Dum licet infestos Sivardus fortiter hostes
Sustinet, & multus miles utrinq; Cadit.
Devictus tandem properè fugiebat in ædem,
Sed fuga Sivardo profuit ista nihil.
Effractis etenim foribus claustrisq; revulsis,
Extinguunt regem quotquot ibi intus erant.
Extincti cineres summâ conduntur in æde,
Oppressus genitor qua jacet insidijs.
Polluit eloquio Sivardus Haraldica proles,
Sed coluit Cypriæ turpia castra Deæ.

Exactis annis à facta cæde duobus,
Armari classem præcipit Ingo suam.
Ostanum stat enim regno depellere fratrem,
Solus ut imperij sceptra verenda gerat.
Divitijs quoniam multis spoliavit avarus
Gregorium, proles qui tua Dago fuit.
Illius & sedem Brasbergam funditus igni
Absumpsit, naves fratris itemq; sui.
Ulturus factis igitur pro talibus ipsum,
Collegit magnam fervidus Ingo manum.
Viribus inferior fugiebat puppe relicta
Ostanus, veritus conseruisse manus.
Teq; petit bobus quæ Vigia semper abundas
Grandibus, insignis fertilitate soli.
Ast Ingo celeri fugientem classe secutus,
Cepit ibi miseris interimitq; modis.
Exilijsse loco fertur fons vitreus illo,
Quo posuit vitam cæsus ab hoste suam.
Est igitur Sanctus celebri cognomine dictus
Fons, & ab illius nomine nomen habet.
Fossiaco cæsi conduntur viscera templo:
Exitus hic fratrum finis eratq; duûm.
Alter avaritiæ maculis respersus, & alter
Luxuriæ, populo durus uterq; fuit.
Inde trucidati fautores Regis, Haquinum,
Vnanimes regem constituere sibi.
Tunc celebris magno fremuit Norvegia motu,
Est cædes varijs factaq; magna locis.
Sæpè per insidias cæca sub nocte latentes,
Miles ab adverso milite cæsus obit.
Arma strepunt passim, resonant ululatibus ædes,
Multus ubiq; pavor, multus ubiq; dolor.

Occisum

Occisum queritur lugens nova nupta maritum;
Sponsa gemit sponsum, filia mœsta patrem.
Acriter amborum, confligunt agmina regum,
Quâ jacet urbs nomen Regis & amnis habens.
Vincitur occisis multis Haquinus utrinq;,
Teq; petit lætis Suecia dives agris.
Unde brevi rediit peregrinis viribus auctus,
Cumq; suo patruo prælia sævus init.
In solidam versus glaciem fuit inter utrumq;
Amnis, hyems cujus frigore strinxit aquas.
Hic placet ambobus rigido decernere ferro,
Et dare crudeli vulnera sæva manu.
Gregorius sævos igitur dum fortiter hostes
Vrgeret, mittens corpora multa neci:
Agmine cum toto gelidas subsidit in undas,
Brachia jactantem moxq; Sagitta ferit.
Nam prius incidi glaciem curavit Haquinus,
Quo palmam mersis hostibus amne ferat.
Sic igitur belli dux & fortissimus heros,
Trajectus telo, mersus aquisq; perit.
Ille fuit sapiens, & ab ipso Rege secundus:
Cui non Consiliis par, neq; Marte fuit.
Insula parva jacet, quam dicunt nomine Gimsam,
Non procul à tectis clara Schienna tuis:
Hic in cœnobio requiescunt membra sepulti,
Illo cui præerat tempore Bouga soror.
Quod pater ipsorum fundaverat antea Dago,
Vir pius & claro sanguine natus avûm.
Post magnum ducens agmen properabat Haquinus
Asloiam, patruo congrediturq; suo.
Acriter illatis confligunt agmina signis,
Fervebat dubii Martis opusq; diu.

Sed cadit accepto lethali vulnere tandem,
Gibbo deformis corporis Ingo sui.
Præfuit hic regno viginti quinq; per annos,
In divi Halvardi conditus æde jacet.
Ingonem Suavis decoravit gratia morum,
Insignis facies flavaq; Cæsaries.
Corporis hunc gibbus sed deformaverat, unde
Norgica Crogbagum lingua vocare solet.
Ingenio placidus clemens facilisq; petenti,
Alloquio comis, largus opumq; fuit.
Moribus his populi sibi conciliavit amorem,
Seq; probat dignum fascibus esse virum.

HAQVINVS Cognomento HERDEBREDUS SIVARDI Filius, XXV. Rex Norvegiæ.

INgonem postquam bello superavit Haquinus,
Subdidit imperio Norgica sceptra suo.
Prædia nobilibus gratis divisit amicis,
Qui se præstabant Marte vigente viros.
Audijt Erlingus postquam cecidisse Monarcham,
Esse sub Herbredi Norvagiamq; jugo.
Mox proceres regni boreali in parte vocabat,
Filius ut Magnus Rex statuatur agit.
Qui fuit è veteri prognatus stemmate Regum,
Et Sivarde nepos Jorsalafare tuus,
Comitijs proles habitis Erlingica Magnus
Eligitur, parvus sit licet ille puer.
Postea bis quinis conscendit navibus æquor,
Et Danos nato se comitante petit.
Hic cum Waldemaro fædus faciebat, ut ejus
Auxilio Magnus Norgica sceptra gerat.

Quo

Quo facto patrios repetebat Schacco penates
Erlingus, claræ nobilitatis honos.
Aggrediturq́ ferox Haquinum milite fretus,
Vrbs Tonsberga vetus qua celebrisq́ jacet.
Vincitur Herdbredus Schacconis viribus impar,
Navibus amissis præcipuisq́ fugit.
Denuò non parvis concurrunt viribus ambo,
Sævaq́ sanguineo prælia Marte gerunt.
Cæditur Haquinus magna cum parte suorum,
Relliquiæ celerem corripuere fugam.
Hic annis tenuit fulgentia sceptra duobus,
Membraq́ Nidrosiæ ritè sepulta cubant.
Rex erat Haquinus facie formáq́ decorus,
Idem divitibus pauperibusq́ fuit.
Est Herdebredus patrio sermone vocatus,
A latis humeris quos habuisse liquet.

MAGNUS ERLINGI

Filius primus coronatus Rex Norvegiæ, numero XXVI.

Filius Erlingi Magnus succedit Haquino,
Exoritur rursus seditioq́ gravis.
Semper adhærebant qui partibus antea cæsi,
Sivardum belli constituere ducem.
Vindicet ut fratrem crudeli morte peremptum
Hostibus & victis regia sceptra ferat.
Sed non respondit votis fortuna noverca,
Quæ spem terrigenum fallere sæpe solet.
Nam postquam multos à te qui Schacco steterunt
Stravisset forti Marte favente manu.
Est capti tandem collo caput ense revulsum,
Sed trabe suffixus frater Haraldus obit.

Quin

Quin etiam trabibus Marcus ſuſpenditur altis,
Exitus hic illis meta fuitq́; tribus.
His ita ſublatis Bellona recondidit enſem,
In regni cunctis pax viguitq́; locis.
Vt pax emerſit vario prius obruta bello,
Edita, quo ſtrages magna furente fuit.
Conſcripti coëunt proceres, Magnumq́; coronant,
Vrbs ubi percelebris nomine Berga jacet.
Summus ubi præſens, ſuperintendentibus, illo,
Cum quinis alijs, tempore præſul erat.
Præterea quidam Stephani qui nomen habebat,
Huc à Romano præſule miſſus erat.
Addiderat ternis tunc Magnus quatuor annos,
Ante coronatus nullus eumq́; fuit.
Pro nato Erlingus regni moderatur habenas,
Vir ſapiens, clarus Marte, manuq́; potens.
Danicus ut Magno Rex audijt eſſe coronam
Impoſitam, miſit ſcripta legenda patri.
Et promiſſa ſibi poſcebat Vigica rura,
Danorum reges quæ tenuere diu.
Tranſmiſſos populo legit præſente libellos
Schacco, quibus lectis mox fremuere viri.
Triſtia malebant prius omnes, omnia ferre,
Quàm ſua Valdemari ſubdere colla jugo.
Legati Domino referebãt cuncta reverſi,
Mox ideo ſævus fulminat ille minas.
Norgica quapropter petit undiq́; regna coactis
Viribus, armata claſſe virisq́; potens.
Vrbs jacet ad Sarpum fama celeberrima quondam,
Accola Sarpsburgum nomine turba vocat.
Hic odio Erlingi populi pars magna laborans,
Valdemarum Regem conſtituere ſibi.

Navigat

Navigat inde potens Tonsbergam classe virisq;,
Tunc ubi fautores Schacco fuere tui.
Qui cum Valdemari venientis forte videbant
Ingentes naves, militibusq; graves.
Confugiunt omnes validam properanter in arcem,
Vertice quæ rupis non capienda stetit.
Vrbem parcebat rapidis absumere flammis,
Ædes sacratas ne simul igne cremet.
Huc populum jussit misso præcone vocari,
Sed non comparet turba vocata loco.
Hinc libertatis studiosam Dania gentem
Sensit, & imperio nolle subesse suo.
Rex igitur verbis solvebat talibus ora,
Hæc est Erlingi gens studiosa ducis.
Et parere meis scio detractabit habenis,
Nec ferre imperium sponte suapte meum.
Quapropter patrias dare carbasa cogor ad oras,
Aut patre cum Magni conseruisse manus.
Sic ait: at reditum multis suadentibus inde
Solvit, & infectâ re sua regna petit.
Audijt vt Schacco Danaûm venisse Monarcham,
Atq; suis multos expoliasse bonis.
Protinus expedijt naves sequiturq; Tyrannum,
Ad patrios dantem turgida vela Lares.
Expugnat classem Cymbrorum forte repertam,
Qua Dyrsa æquoreas flumine miscet aquas.
Et conversa domum dat lintea milite cæso,
Abducit secum Norvagicasq; rates.
Sic meritam Danis (nam nostris antea naves
Abstulerant) Schacco reddidit ecce vicem.
Post hæc almæ aliquot conduntur fœdera pacis,
Tristia finito bellaq; Marte silent.

J Post-

Tønsberg

Poſtquam cum Danaum feciſſet fœdera Rege,
Norvagicæ Schacco nobilitatis honos.
Callidus è medio conatur tollere cunctos,
Sanguine quos Regum noverat eſſe ſatos.
Æmulus imperij ne quiſquam poſtea nato
Inferret charo bella cruenta ſuo.
Vt ſceptrum teneat Magnus ſeriq́; Nepotes,
Cum recubat tumulo mortuus ille ſuo.
Quapropter cæſus gladio Sivardus obivit,
Qui regis Magni frater amandus erat.
Sed mutans patrios compulſus Olae Schaghugi,
Alburgiq́; jacent corporis oſſa tui.
Affectans regnum poſt hæc ſe milite firmat.
Oſtanus, Magno ſævaq́; bella parat.
Fautoresq́; bonis Magni Spoliabat avarus,
Miles & illicitas accumulabat opes.
Ruſtica quapropter prædantes pellere turba
Convenit, varijs expoliata bonis.
In latebras nemorum fugerunt protinus hoſtes,
Deſertisq́; diu delituere locis.
Dumq́; errant cæcis nemorum ſeceſſibus illi,
Diſcindunt veſtes calceolosq́; terunt.
Certabant igitur virides nudare betullas,
Obvolvant nudos corticibusq́; pedes.
Propterea dicti ſunt poſtea Birchebeneri;
Cortipedes, Latius dicere fortè poteſt.
Inde ſuperveniens illorum millia Magnus,
Oſtanumq́; ducem Marte favente necat.
Tunc etjam fugiens nato comitante viroq́;,
Per mare Farrenſes vecta Gunilda petit.
Præſul ubi docuit cæleſtia juſſa Roordus,
Qui levir illius frater eratq́; viri.

Hic

Hic natum Lotis nomen Sueronis habentem
Enutriit, mores edocuitq́; bonos.
Exculto ludi committit eumq́; magistro,
Artes ut discat cum pietate bonas.
Quo duce profecit multum juvenilibus annis,
Esset ut Aonij gloria magna Chori.
Impositis igitur manibus pro more vetusto,
Nomen pastoris præsul habere jubet.
His actis genitrix lachrimarum flumina mittit,
Spargens purpureas imbre cadente genas.
Filius id cernens Suero miratur & infit,
Quid mater quæso fletibus ora rigas?
Lætitiæ cur non potius das signa dolore
Deposito, tantus cum mihi cedit honos.
Sic ait: illa trahens gemitus à pectore tristi,
Reddebat nato talia verba suo.
Hic sit honos quamvis magnus, majore potiri
Esses nunc fili dignus honore tamen.
Es proles etenim Sivardi Norgica sceptra
Qui gessit, conjunx antea cujus eram.
Hactenus hæc omnes cælavi, donec adulto
Signaret teneras barbula prima genas.
Hic stetit auditis secum diversa revolvens,
Talia mox posito verba dolore facit:
Si sim de veteri prognatus sanguine regum,
Norgica qui forti sceptra tulere manu.
Sit melius magnum quam parva paræcia regnum,
Illam pro regno divite nolo mihi.
Sic ait: & patriam conscensa nave petebat,
Immiscet sese militibusq́; ducis.
Cumq́; illis cedens sermonem plurima novit,
Tempore quæ possent commoda ferre suo.

Hinc ad Byrgerum ſe contulit advena Broſam,
Aſt hic optatam ferre recuſat opem.
Ergo Vermlandos acceſſit ibiq; ſorore
Cæciliâ duxit Suero volente moram.
Hoc ubi Cortipedes hauſerunt auribus ante
Qui duce proſtrato corripuere fugam.
Confluxere vijs ad eum mox undiq; plenis,
Inventumq; ſibi conſtituere ducem.
Jlle etenim multas cœpit prætexere cauſſas,
Vt quærant alium conſtituantq; ducem.
Ergò recuſanti ſuccenſent protinus omnes,
Addebant precibus terribilesq; minas.
Sed renuit, quoniam nudi pleriq; fuerunt,
Per multi pleni vulneribusq; ſimul.
Ante tui patris ſumus ultrò caſtra ſecuti,
Et ſub avis conſtat nos meruiſſe tuis.
Sanguine conjunctos nobis amiſimus, atq;
Turba ſumus cunctis expoliata bonis.
Præterea patrijs erramus ſedibus acti,
Quæ debemus avis omnia Suero tuis.
Res igitur Magno quo fiat grata Monarchæ,
Te volumus miſeris exanimare modis.
Cogitur idcirco dux agminis eſſe, quod ante
Noluit, impacto ne cadat enſe ſibi.
Inde per umbroſas ſylvas & inhoſpita teſqua,
Agmine Iemptorum rura ſequente petit.
Sylva horrens inter Iemptos jacet Herdaliosq;,
Millia quàm longam ſeptuaginta ferunt.
Illius hic ſiccas torquet ſitis arida fauces,
Dura fames ſeptem preſſit eumq; dies.
Dat victum cortex abiegnus, fragraq;, brumæ
Tempore ſub gelidâ quæ latuere nive.

Inciſus

Incisusquè dabat caudex quasi pocla betullæ,
Iucundo qualem fundere vere solent.
Subdidit immunes Iemptos à peste maligna,
Atq; tributa domos ne cremet igne tulit.
Postea congressus quingentis hostibus idem
Vexillumq; tulit Martyr Olaë tuum.
Æterno meritas soluit gratesq; Tonanti,
Qui dedit hostiles vincere posse manus.
Et mox Nidrosiam magnâ comitante Phalange,
Tendit, in occursum civica turba ruunt.
Excipiunt hilares comitesq; sequuntur in urbem,
Pendulaq; in celsis turribus æra sonant.

SVERO SIVARDI FILIVS XXVII. Rex Norvegiæ.

HVc ubi pervenit, misso præcone vocari
Cum clarâ populum nobilitate jubet.
Confluit actutum populus, proceresq; vocati,
Ac illum Regem constituere sibi.
Post hos Hadlandos pulchrè comitatus adivit,
Illic haud paucas naviculasq; legit.
Naviculas longi religatas littore Rhandi,
Diverso cujus pisce natantur aquæ.
Adq; lacum Mosam (quo non piscosior alter)
Has curavit equis millia quinq; trahi.
Vnde igitur cunctis via dicitur illa carinæ,
Expers quæ celebris nominis ante fuit.
Fautoresq; capit trajecto flumine Magni,
Captos in vinclis detinuitq; suis.
Halvardus quidam convivia fortè paravit,
(Illi cognomen Sostadiensis erat)

S. 2. Slag (?)
Trundhjem
Halvard Dag

Ter centum veniunt convivæ ritè vocati,
Testantur varijs lætitiamq; modis.
Dumq; illi indulgent epulis & gaudia tractant,
Atq; fero metuunt prorsus ab hoste nihil.
Improvisus adest Suero cum milite multo,
Tristi convivas exitioq; dedit.
His actis fugiens repetit Norlandica rura,
Illic hostiles nescius esse manus.
Quapropter rursus montem conscendere Dogram
Cogitur, aëreis qui petit astra jugis.
Nullus erat callis, vestigia nulla videntur,
Nuper enim jacta mons nive tectus erat.
Hic Rex ambiguo milesq; errore vagantes,
Octiduum duram sustinuere famem.
Errantem vidit Titan in rupibus altis,
Bis quater Eois dum redit ortus aquis.
Hic amisit equos centum triginta virosq;
Vicenos, duro qui riguere gelu.
Postea Nidrosiam repetit navesq; paratas
Occupat, his Bergas per mare vectus adit.
Occurrit Magnus cum patre & præsule summo,
Ostani nomen quem tenuisse liquet.
Illius ingenti conspecta classe retrorsum
Lintea dat Suero, corripuitq; fugam.
Insequitur Magnus fugientem classe volucri,
Talia militibus verba facitq; suis.
Nunc ulciscamur nostrorum fortiter umbras,
Quisq; metent ferro proxima quæq; suo.
Sed captum duris Regem vincite catenis,
Cum Suerone volo mutua verba loqui.
Ergo ubi se vidit non posse evadere Suero,
In cælum tendens brachia poscit opem.

Conse-

Confestim densis involvitur aura tenebris,
Nubes formosum surripiuntq; diem.
Alter ut alterius non possit cernere naves,
Sic Suero hostiles effugit (ecce) manus.
Postea Nidrosiam rursus tendebat ad urbem,
Regalem titulum quâ tulit ille prius.
Inde fugam simulans Melhusum Suero petebat,
Bisque duos remorans mansit in urbe dies.
His actis repetit multis comitantibus urbem,
Militibusq; facit talia verba suis.
Cum genitore suo nunc Magnus in urbe moratur,
Securi plenos evacuantq; Scyphos.
Hoc quia venturos minime nos tempore sperant,
Sed fugisse procul meq; meosq; putant.
Ergò agite ô socij prosternite fortiter hostes,
Et vos invictos esse docete viros.
Quisquis prosternit generosa stirpe profectum,
Huic tribuam titulos nobilitatis ego.
Non DEus eventum cum sit justissima causa
Abnuet, illo hòstes auxiliante cadent.
Hæc & plura viam carpens est ille locutus,
Quilibet ut fortem se probet esse virum.
Interea Magnus cum milite pocula siccant,
Hostes ignari cominus esse feros.
Hic vacuat Cyathos, somno jacet obrutus ille,
Hic tollit risum, cantibus ille strepit.
Jamq; dies primo rediens surgebat Eoo,
Phœbus & Oceani gurgite tollit equos.
Conspiciunt vigiles fulgentes ære catervas,
Jlicet in plateis Rex sonat hostis adest.
Arma fremunt cuncti pugnæ se quisq; parabant,
Hostibus occurrunt intrepidiq; suis.

Ensem

Ensem distringens Erlingus talia fatur,
Iam mihi sunt cana tempora sparsa nive.
Vos tamen hostiles hac inter luce maniplos
Cernetis gladium posse movere senem.
Sic ait & densos vitæ contemptor in hostes
Irruit, & ferro proxima quæq; metit.
Vendicat ancipiti dum sese fortiter ense,
Vulnere transfoditur, moxq; locutus ait.
Vos nihil hoc moveat pugnetis fortiter omnes,
Vt palmam Magnus victor ab hoste ferat.
Vix hæc effatus, vitâ fugiente sub umbras,
Concidit, & fuso sanguine fædat humum.
Vt genitor vitam pariter cum sanguine fudit,
Natus transmisso protinus amne fugit.
Hoc sexaginta septem certamine Magnus
Amisit claros nobilitate viros.
Præcipuas cepit fugientis Suero carinas,
Evasitq; potens classe virisq; simul.
Postea Schacconi solvebat justa perempto,
Nec sinit orbatum laudibus esse suis.
Illius enumerat laudes & fortia facta,
Facta quibus clarum nomen in orbe gerit.
Vnum vituperat, quod contra jura fidemq;,
Curavit Magno Norgica sceptra dari.
Non etenim claro regum (si forte paternum
Quis genus excutiat) stemmate natus erat.
Vt ducis occisi fecit præconia Suero,
Subjungit dictis talia verba statim:
Me tribus adversis potuisse resistere miror,
(Erlingum, Magnum, Pontificemq; putat.)
Hic in suggesto cunctis promisit Olympum,
Vitam pro Magno qui posuere suam.

Atq;

Atq; potituros cælesti sede, priusquam
Illorum possit frigidus esse cruor.
Omnes sunt igitur cælesti sede recepti,
Qui strati regis cum genitore jacent.
Præsulis Ostani verbis si credere fas est,
Pro Magno cæsi cælica regna petent.
Ipsius minimè sed fas est credere verbis,
Quapropter cæsi tartara regna petent.
Omnibus (his dictis) grates agit ore diserto,
Erlingi funus quod voluere sequi.
Post illis tribuit rex nobilitatis honorem,
Qui stravere viros nobilitate satos.
Umbras ulturus rursus capit arma suorum
Magnus, Nidrosiam navigijsq; petit.
Quâ jacet ad celebrem celebris Trondemia Nidam,
Vrbs vetus & templis relligiosa pijs.
Dimidiam regni misso sibi milite partem
Concedi pacis Suero petebat amans.
At mavult rigido Magnus decernere ferro,
Quàm regnum in partes distribuisse duas.
Collatis igitur placuit confligere signis,
Et dare crudeli vulnera sæva manu.
Agmina cum campis starent, ubi cernere ferro
Decrevere, suis Suero locutus ait.
Nunc ego sic vobis dicam, ceu rusticus olim
Dicebat nato Marte furente suo.
Rusticus armatus gnatum comitatus euntem
Ad naves fortem talibus esse monet.
Si te pugnando scires tua fata tuumq;
Clausurum vitam quomodo te gereres?
Quærenti natus sic reddit parcere vellem
Nulli, sed letho proxima quæq; darem.

Quid? si præscires (quærit pater inde) supremum,
Te non clausurum nec tua fata diem.
Reddidit ille patri, seu salvus ab hoste redibo,
Seu claudam summum digladiando diem.
Non vitæ parcam, nulli dabo luce potiri,
Sed rigidus mittam proxima quæq; neci.
Tum pater: aut vincit pugnans aut vincitur omnis,
Hostibus est probrum vertere terga suis.
Suero suas postquam sic exhortatus in arma
Esset, mox signum buccina clara dedit.
Acriter & magnis concurrunt viribus ambo,
Vulneraq; alternâ dantq; feruntq; manu.
Victus ad extremum longo certamine Magnus
Cessit, & amisso milite terga dedit.
Valdemarumq; petit ventosa per æquora vectus,
Huic etenim claro sanguine junctus erat.
Inferior numero Suero licet hostibus esset,
Ipse tamen fuso victor ab hoste redit.
Sæpe solet vinci confidens robore multo,
Inferior numero vincere sæpe solet.
Postea cum sonitu armorum magnoq; fragore,
Turba venit Bergas seditiosa nimis.
Rustica turba quidem fautrix Magniq; fugati,
Mittere victorem percupiensq; neci.
Hanc ferus aggreditur Suero, victamq; coëgit
Occisis multis accelerare fugam.
Argento pacem victi mercantur & auro,
Talia seditio commoda ferre solet.
Auxilio Magnus Danaum suffultus, ad urbem
Carbasa Bergensem vere sequente dedit.
Alter nil veritus concurrere, navibus ipsum
Excipit armatis, conseruitq; manus.

Corpora

Corpora multa virum letho mittuntur utrinq;
Miratur rubras sanguine Thetis aquas.
Navibus octodecim captis cum milite tandem,
Acceptoq; gravi vulnere Magne fugis.
Prædam distribuit Rex inter Birchebeneros,
Factus & est Cræsus qui prius Irus erat.
Prælia Nidrosiam post facta petebat, & illic
Hybernat, longam Suero trahitq; moram:
Tunc Byzantinâ remeavit Ericus ab urbe,
Apprimè prudens qui sapiensq; fuit.
Emanuelq; operam dederat tibi tempore longo,
Inter magnificos primus honore viros.
Hic Sueronis erat frater germanus at ille,
Credere germanum noluit esse suum.
Quapropter ferrum candens portare jubetur,
Sic ut Sivardo se probet esse satum.
In dextrâ ferrum ignitum portavit Ericus,
Illæsum monstrans fecit eiq; fidem.
Hunc igitur magno rex vivere jussit honore,
Hunc oculis clarum plus habuitq; suis.
Ver erat & rursus se firmat milite Magnus,
Qua jacet undoso Berga propinqua salo.
Nidrosiamq; petit reparatis viribus urbem,
Victus ubi cèlerem bis dedit ante fugam.
Regibus inducias visum est utriq; pacisci,
Mutua de bello paceq; verba loqui.
Distribui regnum Suero velut ante petebat,
Vt populus possit pace vigente frui:
Huic alter verbis respondens talibus infit:
Fœdera si pacis jam facienda forent,
Non tamen illa diu durarent fervida sæpè,
Ex levibus causis surgere bella solent.

Fugat Ma[...]

 Vera

Vera refers (inquit Suero) renovare studebunt:
    Bellum, qui gaudent bella nefanda sequi.
Vt sileant igitur finito prælia Marte,
    Et positis armis pax rediisse queat.
Invisam varios populos cum Birchebeneris,
    Vt videam multis multa notanda locis.
Exactis patrios tribus annis inde penates,
    Natalisq; soli dulcia rura petam.
Hæc faciam, terras totidem lustrare per annos,
    Si modo non renuis me redeunte domum.
Desierat, Magnus calida sic motus ab ira,
    Reddit, qua sensus cum ratione rapit:
Te vellem Sucro peregrinas visere terras,
    Sed nunquam ad patrios inde redire Lares.
Ipse coronatus Rex sum, patriamq; tuebor
    Armis, tantisper dum mihi vita manet.
Hoc etenim jurans promisi tempore cunctis,
    Cum mihi nobilitas fulgida sceptra dedit.
Amisi centum generoso sanguine cretos,
    Auratos equites octo novemq; simul:
Præterea patrem Martis ferus abstulit ensis,
    Quo mihi nil toto charius orbe fuit.
Aut nihil aut totum amittam vitamq; vel ipsam:
    Illi respondens talia Suero refert.
Scis accepta quidem tu multis damna referre,
    Parva recordari sed data Magne nequis.
Anne meus genitor confossus vulnere multo,
    Bergensi vitam finiit urbe suam.
Annon Ostanus crudeli morte peremptus
    Occubuit, patruus cum mihi charus erat.
Nonne meum fratrem genitor tuus ultor Haquinum,
    Stravit & multos nobilitate satos.

Nonne

Nonne meus frater fuerat cui nomen Haraldo,
Est trabe suffixus patre jubente tuo?
Annon Siguardus frater sua colla Securi
Percutienda dedit, patre jubente tuo?
Cum mihi tot bello ceciderunt sanguine juncti,
Quid regnum in partes distribuisse negas?
Sed quia collatis mavis confligere signis,
Quam regnum in partes distribuisse duas:
Congredere Ildvoldi plures (ut spero) tuorum
Ense cadent, illic quam cecidere prius.
Cui Magnus; totis concurram viribus alto
Tecum. Respondens talia Suero refert:
Subductæ naves exceptis sunt tribus omnes,
Illas expediam congrediarq; tibi.
Armatis totidem mecum concurre carinis,
Ut numero simus viribus atq; pares.
Alter ait: miles parcetur: uterq; duello
Confligas, victor sceptra petita gerat.
Quid confligemus pugilum pro more vetusto,
Cum satis ambobus sit numerosa manus.
Sed quia vis soli solus concurrere, stratis
Sublimes ambo congrediamur equis.
Quod si fortè tuâ me deturbaveris hastâ,
Imperij solus fulgida sceptra geres.
At renuens Magnus concurrere grandibus hastis,
Digreditur, Bergam navigijsq; petit.
Suero Nidrosiæ fratrem præfecit Ericum,
Sudlandos Dogræ per juga montis adit.
Hæc postquam Magni pervenit fama sub aures,
Nidrosiam repetit classe virisq; potens.
Invaditq; ferox urbem nil tale putantem,
Et letho mittit corpora multa virum.

 Parci-

Parcitur in sacras nec confugientibus ædes,
Sparsâ fumanti templa cruore madent.
Plurima fatifero prostrata cadavera ferro,
In plateis, templis, in domibusq; jacent.
Elapsus properè cum milite fugit Ericus
In montem vitæ consuluitq; suæ.
His actis Magnus naves Sueronis ad urbem,
Tendens adducit venerat unde prius.
Post, apud Aslojam collectis Suero petebat
Naviculis Bergam, tunc ubi Magnus erat.
Et noctu irrumpens sævorum more luporum,
In plateis passim corpora strata jacent.
Vnde redit Bergas illorum viribus auctus:
Terq; ibi dat letho corpora dena virum.
Alterius miles vicini in culmina montis,
Fugit præruptis qui petit astra jugis.
Hinc dedit ad Noram festinans carbasa Magnus,
Illic Suero moram Cortipedesq; trahunt.
Vt vigil omnigenis conspexit in æquore naves 5
Armis instructas, militibusq; graves.
Ad Regem properat cursu mox ille citato,
Hostilesq; refert approperare rates.
Prospiciens Suero navalia signa, notasq;,
Fecit militibus talia verba suis.
Naves conspicio bellis navalibus aptas,
Magnus Valdemari viribus auctus adest.
Quod mihi consilium dabitis, sequar anne relictis
Navibus, hinc fugam congrediarne statim.
Illas in prædam fugio si fortè relinquens,
Accipiam similes qua ratione rates.
Miles vt in curis Regem consistere sensit,
Tales intrepidus reddidit ore sonos.

Antea miſcuimus cum Magno prælia ſæpè,
Multos exiguâ vicimus ante manu.
Malumus in ſævos pugnando fortiter hoſtes
Occubuiſſe ſimul, quam celerare fugam.
Reſponſo tali Suero lætatus ovabat,
Hæc iterum ſocijs verba dat ore ſuis.
Vos igitur præſtate viros metus omnis abeſto,
In vobis prorſus ſit timidumq; nihil.
Hæc via vincendi ſola eſt vitamq; tuendi,
Hoc uno nobis vita tuenda modo.
Proderit haud quicquam precibus ſcio poſcere pacem,
Nec dare præcipiti lintea verſa fugæ.
Subveniant ſocijs ſocij, DEus omnibus ipſe
Auxilium nobis ſuppetiasq; ferat.
Hæc ubi fatus erat pro tempore pauca, carinas
Remige propelli mox jubet ille ſuas.
Vidit ut inſtructis venientem navibus alter,
Cui major claſſis major eratq; manus.
Advocat in cætum ſocios & talia fatur:
Vix annos ſeptem tunc ego natus eram,
Cum mihi nobilitas regni daret alta coronam,
Octo annos ſed jam ſenaq; luſtra gero.
Proſtrati campis multi cecidere meorum,
Ut Suero cæpit bella movere mihi.
Jlluxiſſe diem ſpero quo vincere noſtros
Hoſtes, & ferro ſternere fata dabunt.
Quapropter ſocij vos unum obteſtor & unum,
Hoc contendo ſuam quisq; probate fidem.
Vos ergò præſtate fidem velut antea ſemper
Feciſtis, manus eſt ſat numeroſa mihi.
Hoc ego nunc unum jam poſtulo, ab omnibus unum
Hoc contendo, ſuam quisq; probate fidem.

Sic

Sic ubi fatus erat concurrunt illicò puppes,
Et fiunt tremulo prælia sæva salo.
Fecerat exiguas tunc Sol altissimus umbras,
Auricomus medium jam tenuitq; diem.
Exoritur cædes it tristis ad æthera clamor,
Saxaq; brumali grandine plura cadunt.
Anceps pugna diu multi cæduntur utrinq;,
Vndaq; puniceo tincta cruore rubet.
Cortipedes tandem superant victricibus armis
Hostes & sternunt Marte favente suos.
Vt stetit à sævis victoria Birchébeneris,
Spesq; fuit victis non super ulla fugæ.
Tam densè miles Magni coit omnis in unum,
Quattuor ut mersas sorbeat unda rates.
Quod simul ac vidit proles Erlingica Magnus,
In bello miles qui tamen acer erat.
Protinus æquoreas sese mittebat in undas,
Cum multis claris nobilitate viris.
Hic ex nobilibus Magni cecidere bis octo,
Obscuri generis quot cecidisse putes?
Tum nox stelliferi mediam pervenit Olympi
Ad metam & variæ conticuistis aves.
Prodijt ut tenebris fulgens aurora fugatis,
Solq; oriens nitidum sparsit ab ore jubar.
Mandari cæsos inhumataq; corpora terræ,
Devicto, palmam qui tulit hoste, jubet.
Inventum Regis demersi corpus in undis,
Includit loculo curat idemq; vehi:
Huc ubi Berga jacet tectis decorata superbis,
Cui mons vicinus nomen habere dedit.
His actis dictam dat Suero victor ad urbem
Carbasa, cortipedum concomitante choro.

Exceptu-

Exceptura coit venientem civica turba,
Pulsaq; sub celsis turribus æra sonant.
Attamen illius Magnum pars maxima palmam
Victrici malunt obtinuisse manu.
Sæpe quis alterius manui dedit oscula blandus,
Abscissam ferro quam tamen esse cupit.
Corpus magnifico sepelitur funere Magni,
Et nunc in summa conditus æde jacet.
Ante sed exequias cunctis monstravit humandum,
Fluctibus extinctum ne dubitare queant.
Hic tria regnavit clarus septennia bello,
Insignem meritis & probitate virum.
Lætos diffundens vultus persæpe solebat
Fallere jucundis tempora longa jocis.
Nil rutilus vidit Sol munificentius illo,
Namq; dedit larga splendida dona manu.
Sed fuit illicitæ Veneris studiosus, & idem
Gaudebat plenos evacuare Scyphos.
Ut fera fatiferum Bellona recondidit ensem,
Qua nihil in mundo tristius esse potest.
Margretam licito junxit sibi fœdere victor,
Inclyta quæ Sueonum filia Regis erat.
Annus & annus abit post prælia facta, tumultus
Cum novus exoritur, seditioq; gravis.
Non procul Asloja celebri notissima famâ,
Insula de capitis nomine dicta jacet.
Hic stetit immensis extructum sumptibus olim,
Vastum insigne, ingens, nobile Cœnobium.
Sed nunc disjectas moles, avulsaq; saxis
Saxa vides, constans sic nihil orbis habet.
Vixit ibi Monachus Ionas Cuflingus obesus,
Qui soboles Petri vera parentis erat.

Attamen affectans regnum sedemq; Monarchæ,
Crogbagio finxit se genitore satum.
Sumere persuadet Magni fautoribus arma,
Accumulat subitam seditiosus opem.
Quotquot adhærebant Custingi partibus, omnes
A duce Custingo sceptra vetusta vocat.
Omnibus una fuit Sueronem pellere regno
Cura, vel hunc miseris exanimare modis.
Hæc variâ passim grassatur cæde caterva,
Atq; dat in multis plurima damna locis.
Hæc funesta duos durabant bella per annos,
His lapsis Jonas cæsus in urbe cadit.
Vrbe, cui fecit montis vicinia nomen,
Qui petit aerijs arduus astra jugis.
Postea Sigvardus Magno genitore creatus,
Instruxit naves expedijtq; suas.
Orcades undisono qua sparsos æquore fluctus,
Tundunt insignes fertilitate soli.
Ulturusq; sui cineres mortemq; parenti,
Norgica ventosum per mare regna petit.
Ex improviso Tonsbergæ Marte trucidat,
Claros & veteri nobilitate viros.
Et multo passim conscripto milite cingit,
Navigat instructa classe virisq; potens.
Classe virisq; potens Suerburgum milite cingit,
Uxor ubi regis Margaris ipsa fuit.
Quod simul ac Regis perlatum venit ad aures,
Qui tunc Nidrosiæ duxit in urbe moram.
Protinus instructis tendebat navibus illuc,
Hostibus intrepidus congrediturq; suis.
Missilibus certant telis, rubet unda cruore,
Saxaq; brumali grandine plura volant.

Vtraq; defendit pars ſeſe fortiter armis,
Signaq; ſolliciti nulla timoris erant.
Sed tandem invictis victoria Birchebeneris
Ceſſit, proſtratis hoſtibus ante feris.
Hic cecidit fuſi Sivardus ſanguinis autor,
Milite cum multo, nobilibusq; viris.
Stravit ut infeſtos Suero feliciter hoſtes,
Victor Congelſvam carbaſa tenſa dedit.
Illic ad lautæ non vilia fercula menſæ,
Legatum invitat Roma ſuperba tuum.
Æratas venit qui paſſim vendere bullas,
Fraudibus ut magnas accumularet opes.
Rex igitur paſſim cumulantem fraudibus aurum,
E regno minitans juſſit abire ſuo.
Sentio cur Latijs veniſti miſſus ab oris,
Adventus cauſam mene latere putas?
Tu, ſimilesq; tibi, cœleſtia dona venitis
Vendere, quo magnas accumuletis opes.
Vos juvat æratis (ô impia pectora) bullis
Reges cum populo ludificaſſe rudi.
Vos, ut inutilibus nobis illudere bullis
Poſſetis, longam non piget ire viam.
Sed ſimul ac patrias læti rediiſtis in oras,
Gaudetis multos ludificaſſe dolis.
Propterea dico; ſi non impoſtor abibis,
Quàm primum meritis præmia digna feres.
Sic te deducam ſic & tractabo reverſum,
Vt vix te Latius noſcere Papa queat.
Ille ſibi vitæ metuens à Rege periclum,
Cum ſocijs abijt venerat unde ſuis.
Proxima veſtiret cum campos floribus æſtas,
Et decorata ſuis frugibus arva forent.

 Conſcri-

Conscripti coëunt proceres Regemq́ coronant;
Vrbs ubi de montis nomine dicta jacet.
Qui sibi Pontifices re convocat inde peractâ,
Ut venere statim talia verba facit:
Vos hortor Domini moneoq́, ut semper ametis
Pacem, qua nihil hic dulcius orbis habet.
Nemo serat vestrum funesti semina belli;
Sed mihi quisq́ suam præstet ubiq́ fidem:
Et vestrum munus summâ cum laude geratis,
Qui sapit is Spartam curat amatq́ suam.
Omnes dant Regi dextrasq́ fidemq́ sed omnes
Antea quam dederant non tenuere fidem.
Nicoleus etenim Danos per cærula vectus
Accessit, magnam legit ibiq́ manum.
Illius, ut sobolés Ingo (quem patre creatum
Fingebat Magno) sceptra verenda ferat.
Quiq́ sub illius miscebant prælia signis;
Omnes Bagleros scripta vetusta vocant.
Agmen agens magnum tendit qua Vigia fluctus
Sustinet, insignis fertilitate soli.
Occurrit Suero venienti viribus impar,
Et multis letho cedit utrinq́ datis.
Nidrosiamq́ petens hominum tria millia legit,
Instruxit naves militibusq́ replet.
Occupat interea hic australia prædia victor,
Ingo compellens ferre tributa sibi.
Quapropter passis Borealia littora velis
Liquit, & Aslojam per mare Suero petit.
Huc ubi perventum mox urbem milite multo
Cingit, Bagleris congrediturq́ statim.
Pugna ferox oritur longeq́ miserrima cædes,
Sanguine puniceo quaq́ platea rubet.

Multa

Multa jacent passim prostrata cadavera ferro,
Area templorum sparsa cruore madet.
Vidit ut innumeros Ingo cecidisse suorum,
Mox cum præsulibus terga pavore dedit.
Hic è Bagleris cecidit pars maxima victis,
Relliquiæ celerem corripuere fugam.
Fervidus insequitur fugientem Suero catervam,
Datq; neci victor corpora multa virum.
Post hæc Nidrosiam Baglerica turba tetendit,
Absumit flammis Regis ibiq; rates.
Et parere sibi multosq; subesse coëgit,
Nolentes miseris interimitq; modis.
Hoc per tres annos bellum miserabile gestum
Duravit, multis exitioq; fuit.
Temporis illius quis cladem & funera flendo
Explicet? aut dignè commemorare queat?
Sæpè superveniens Ingonis castra sequentes
Suero necat, meritam reddit eisq; vicem.
At vos Pontifices diri quid semina belli
Jecistis? Christus siccine vos docuit?
Per vos seditio mota est, discordia per vos
Est sata; sunt varijs corpora strata locis.
Præsulis est munus non spargere semina belli:
Sed verbo CHRISTI pascere ritè gregem.
Hos vos officio neglecto bella movetis
Regi, gaudentes castra nefanda sequi.
Hanc igitur vobis debet Norvegia cladem,
Vos estis tanti fons & origo mali.
Post Tonsberhusum diffuso milite cingit,
Tunc ubi fautores Ingo fuere tui.
Dumq; arcem castris premit obsidione locatis,
Quæ stetit in montis vix capienda jugo.

 Cynthia

Cynthia ter denos implevit cornibus orbem,
Dum pressit clausos obsidione gravi.
Obsessos orta est tandem penuria rerum,
Nec non horrendæ mortis alumna fames.
Quá fermè illorum perijt pars maxima, mortem
Pars etjam facta deditione subit.
Pandere sunt igitur portarum claustra coacti,
Ne premat inclusos longius atra fames.
Tunc imbecilles adeo infirmiq́; fuerunt,
Vix solito ut possent ponere more pedes.
His Suero clemens dat vitam, prædiaq́; ultro
Supplicibus reddit quæ tenuere prius.
Post ubi finito siluerunt prælia Marte,
Et Bellona ensem condidit atra suum.
Tonsbergæ tristi cœpit decumbere morbo,
Robore paulatim deficiente suo.
Bergensem navi tendit tamen æger ad urbem,
Quæ jacet ad gelidi littora structa maris.
Huc ubi pervenit se ferri jussit in arcem,
Quæ Suerisburgum nomine dicta fuit.
Hic blandi capiens dulcissima munia somni,
Ingressum vidit limina fortè virum.
Ex quo decumbens se somnia quærere, ullâ
Depelli morbus num ratione queat?
Avertens oculos alter faciemq́; roganti,
Talia confestim reddere visus erat.
Te para ad extremum quo Christus ab axe redibit,
Et surgent tumulis corpora viva diem.
Evigilans mortem sentit Rex esse propinquam,
Quæ solet incerto certa venire die.
Quapropter cupidus veniæ æternæq́; salutis,
Mystas sacrorum jussit adesse sibi.

Acciti

Acciti veniunt consolanturq; jacentem,
Monstrantes veræ ritè salutis iter.
Jamq; increbescit morbus, fera morsq; propinquat,
Et Spes sperata nulla salutis erat.
Mox igitur deflens transactæ crimina vitæ,
Æthereos sumpsit sacraq; pocla cibos.
Astant infirmo proceres regniq; senatus,
Testantur lachrymus tristitiamq; suis.
Munijt ut sese sacris, mox talibus infit,
Hoc notum vobis omnibus esse volo,
Mascula progenies mihi quod jam nulla supersit,
Excepto Haquino, credite, vera loquor:
Vnanimes igitur (quod vos obtestor) eidem,
Tradite post mortem sceptra gerenda meam.
Possit enim fieri me vita atq; aëre casso,
Vt quis se fingat me genitore satum:
Et moveat bellum stimulante cupidine regni,
Antea ceu factum sæpius esse liquet.
Hæc fatus: vitam finit durosq; labores,
Commendans animam Christe benigne tibi.
Hic fuit illius post bella gravissima finis,
In quibus invictum præstitit usq; ducem.
Corpus magnifico sepelitur funere summa
Æde, tenet nitidi Spiritus astra poli.
Tunc mille & centum post partum virginis annis,
Cum lustris denis lustra jerantq; decem.
Præfuit huic regno viginti quinq; per annos,
Et gessit forti regia sceptra manu.
Suero Rex Magnus, ferus & leo, mitis ut agnus,
Supplicibus facilis, sontibus asper erat.
Justitiæ, legum, pacis, pietatis & æqui
Cultor, & antiquæ relligionis amans.

Ornavit

Ornavit victrix ira clementia mentem,
Pectora consilijs plena fuere bonis.
Magnanimus, sapiens, & circumspectus & acer,
Et Regum nulli Marte secundus erat.
Adde quod intrepidus subijt discrimina mortis,
Essent cum forti bella gerenda manu.
Arma lacessiti quoties ultricia sumpsit,
Hostiles stravit Marte favente manus.
Ieferior numero superavit sæpius hostes,
Exiguis letho copiolisq; dedit.
Testis erit Magnus quem vicit viribus impar,
Compulit & patrios destituisse Lares.
Testis erit Magno natus genitore Sivardus,
Testis erit Ionas, Ingoq; testis erit.
Testis erit genitor tuus, & Baglerica turba,
Quam docuit celerem corripuisse fugam.
Vt leo magnanimus catulis desævit ademptis,
Irruit in sparsos lata per arva boves:
Sanguineoq; jubas horrentes inficit ore,
Morsu dilacerans omnia membra fero:
Haud aliter Suero dum prælia miscuit atrox,
Thorax hostili sanguine sparsus erat.
Magna fuit Regi facundæ gratia linguæ,
Æmula Nestoreis verba fuere sonis.
Omnes ingenio superavit & arte Monarchas,
Quos genitale solum Norgica terra tulit.
Excultos studijs studijs excultus amabat,
Ac habuit doctos magno in honore viros.
Pauca loquebatur quando conviva sederet,
Sumeret & lautos fercula grata cibos.
Et licet interdum sic re poscente vocaret
Convivas, nimium non tamen ille bibit.

Moribus

Moribus his meruit procerum populiq; favorem,
Omnibus acceptus propter eosq; fuit.
Salve magne heros, regum fortissime salve,
Salve Pierij gloria magna Chori.
Sit licet ereptus vivis & morte peremptus,
Attamen in terris fama superstes erit.
Fama superstes erit magni dum machina mundi
Stabit, in hanc juris mors habet atra nihil.

HAQUINUS SUERONIS Filius, senior dictus. XXIIX. Rex Norvegiæ.

FInijt ut vitam Suero Sivardica proles,
Filius Haquinus Regia sceptra tulit.
Nobilium primis tendit comitantibus urbem,
Quæ de vicino nomina monte tenet.
Expansis iterum velis petit impiger inde,
Sarpsburgum lentam traxit ibiq; moram.
Flumine luxurians quà vertice Sarpus ab alto
Volvitur, & tantis præcipitatur aquis.
Vt si stentorea quis voce loquatur ibidem,
Auribus hauriri non tamen illa queat.
Illic ut vidit forma præstante puellam
Ingam, quæ summæ nobilitatis erat:
Mox jubet adduci visam succensus amore,
Vt jaceat tepido nocte recepta sinu.
Jamq; expleto animo dulci oblectatus amore,
Ad Bergas rursus lintea tensa dedit.
Huc ubi pervenit, moriens vitale reliquit
Lumen, & extremum clausit in orbe diem.

M Mensi

Mensibus Haquinus bissenis sceptra gerebat,
Riteq; Bergensi conditus urbe jacet.

GUTHORMUS SIGUARDI Filius, Sueronis nepos ex filia, XXIX. Rex Norvegiæ.

TRaditur imperium patrui post fata Guthormo,
Sed tenuit parvo tempore sceptra nimis.
Cynthia complevit quater & bis cornibus orbem,
Norgica Guthormo sceptra gerente, suum.

INGO BORDERI FILIUS Sueronis nepos ex filia, XXIX. Rex Norvegiæ.

GVthormo subijt Borderi filius INGO,
Filia Sueronis quem generosa dedit.
Proxima vestiret cum campos floribus æstas,
Et decorata suis frugibus arva forent:
Mascula progenies Inga pariente sub auras
Nascitur, & primum cernit in orbe diem.
Cui mater jussit genitoris nomen Haquini
Indi, cum sacris perlueretur aquis.
Postea Nidrosiam decursis mensibus anni
Tendebat, magno concomitante choro.
Matrem cum puero Rex magno excepit honore,
Vlnis complexum fovit eumq; suis.
Osculaq; è roseo carpebat blandulus ore,
Inq; aula lætus fovit utrumq; diu.

Corti-

Cortipedes viso pariter lætantur Haquino,
Qui sub avi signis & meruere patris.
Post apud Haquinum Jarlum vivebat, & illo
Artes addidicit percipiente bonas.
E ludo quadam cum luce veniret Haquinus,
Jarlus ait: quidnam discis amande puer?
Alter ad hæc: artem rectè & benè disco canendi,
Quæ curas animi tristitiamq; fugat.
Cum neq; tu fies pastor vel Episcopus unquam,
Illam quid quæso te didicisse juvat.
Nobilium quidam Jarlo suadere laborant,
Ut natum morti dedat Haquine tuum.
Extinctus rapida Regis si filius esset
Morte, vel immites missus ad usq; Getas.
Filius Ingoni vita succedere functo,
Posset, & imperij frena tenere tuus.
Absit ut hoc illi faciam qui totius hæres
Est regni, ac tanto dignus honore simul.
Annos ut vitæ denos complevit alumnus,
Naturæ solvens debita Iarlus obit.
Rex igitur rursus puerum suscepit alendum,
Et magno à cunctis jussit honore coli.
Ingo parum firmis post cepit viribus uti,
Cunctaq; non parvo membra dolore premi.
Consultant igitur proceres de Rege creando,
Si vitæ summum clauserit Ingo diem.
Asserit hæredem regni se Schulo, Monarchæ
Nam frater primus nobiliumq; fuit.
Astabat tacitus vir juris amator & æqui,
Evindus linguam continuitq; suam.
Cui reliqui: tacitus quid stas Evinde nihilq;
Respondes? profers cur nihil in medium?

Quid respondebit, quem non interrogat ullus.
Tantos demiror vos dubitare viros.
Ætas si matura virum fecisset Haquinum,
Deberet titulum patris habere sui.
Non tu deberes succedere Schulo, sed ille
Frater sit quamvis Ingo Monarcha tuus.
Sed Spes Schulonem pluresq; fefellerat ista,
Frena quibus regni prendere cura fuit.
Nam qui decubuit defectis viribus Ingo
Convaluit, vires restituente Deo.
Vt verò excessit jam grandis Haquinus Ephœbis,
Atq; aptus bellis imperioq; fuit.
Non animum pauci juvenis stimulare laborant,
Totis ut Regi viribus arma paret.
Et cum Rege ineat collatis prælia signis,
Victor ut imperij debita sceptra ferat.
Ille refert: nolo funesti semina belli:
Spargere, regnandi non mihi tantus amor.
In manibus summi mea spes est sorsq; Tonantis,
Si velit ille suo tempore sceptra feram.
Consuluit paci sic bella perosus Haquinus;
Impia, sic patriæ consuluitq; suæ.
Post Ingo moritur vix dum trieteride plena,
Annos cum tredecim natus Haquinus erat.
Bisq; suum sex jam complevit Cynthius orbem,
Imperij fasces dum bonus Ingo tulit.

HAQVINVS HAQVINI SENIORIS Filius XXX. Rex N qui in Orchadibus obijt.

Conveniunt regni proceres post fata Monarchæ.
Haquinum Regem constituuntq; suum.

Quod

Quod sine consensu summi fit præsulis, illi
Strips odio semper Nam tua Suero fuit.
Tempore quo regni stimulante cupidine quidam,
Impia per multos cogit in arma viros.
Rex novus hos stravit, sed non sine cæde suorum,
Primum virtutis dat specimenq; suæ.
Affectans regnum Jarlus sibi Schulo favorem,
Præsulis & procerum conciliare studet.
Ut fratris titulum ferat auxiliantibus illis,
Qui dignâ gessit regia sceptra manu.
Et se designent regem, sceptroq; paterno
Privent Haquinum, plebe favente cupit.
Objiciunt igitur, non sat constare quod esset
Filius Haquini, Suero nepos q; tuus.
Rex quibus? haud candens ferrum portaverat ulla
Mater, ubi natus sceptra gerenda tulit.
Nunc tamen hoc fiet, quo confundantur ad unum
Omnes, qui natum rege parente negant.
Privatumq; volunt sceptris solioq; paterno,
Et dudum miseris interijsse modis.
Nec mora quin candens ferrum pro more vetusto,
Portavit manibus nobilis Inga suis.
Illæsasq; illis monstrat (res mira) fidemq;
Multis, hoc fieri qui cupiere diu.
His actis renovant ipsi mox fœdera pacis,
Tempore quæ longa non tenuere tamen.
Margaris & Regi gnata est Schulonis Haquino,
Legitimo sacri fadere juncta tori.
Gaudia qui Bergis celebrant hymeneia læti,
Testantur varijs lætitiamq; modis.
Orchadum in oris prædari ut rescivit Haquinus
Scotos, permultas perdere & igne domos.

Navigio celebri violentos expulit hostes,
Turpia compellens vertere terga sibi.
Interea conjunx peperit pulcherrima prolem,
Quo fuit Arctoo pulchrius orbe nihil.
Qui tulit Haquini nomen commune parenti,
Infans cum sacris perlueretur aquis.
Perfidus ast studuit Magnatum Schulo favorem
Præsulis & plebis conciliare sibi.
Acciti coëunt populi regniq; Senatus,
Schuloni & tribuunt nomen habere Ducis.
Is regni aspirans ad sceptrum fœdera frangit,
Nec tenuit Regi quam dedit ante fidem.
Atq; duos Regi defendit Schulo rebelles,
Denuo lis oritur dissidiumq; grave.
Ipse confestim multo se milite firmat,
Constituens regnum subdere Marte sibi.
Continuò è medio statuebat tollere cunctos,
Prognati Regum sanguine quotquot erant.
Hinc bellum exarsit quod Schulo movit Haquino,
Norvegiæ & varijs intulit arma locis.
Ignibus absumit pagos necat obvia quæq;,
Et parere suo compulit imperio.
Asloiæ huic Regis titulum proceres tribuebant,
Dimidium regni plebe probante capit.
(Postquam bis denos regnasset Haquinus in annos
Regale & Nato nomen habere dedit.)
Quod simul ac Regis perlatum venit ad aures,
Qui tunc Nidrosiæ nectit in urbe moram.
Multo festinans conscripto milite Bergas
Navigat, instructa classe virisq; potens.
Hinc cito prævehitur spumantia saxa sinusq;,
Asloiam versus per mare vectus adit.

Et

Et portam subiens pulsantibus æquora remis,
Militis armatam vidit adesse manum.
Extemplo exoritur clangor sonitusq; tubarum,
Et sese pugnæ quisq; repente parat.
Pars gladios stringunt, pars corripuere bipennes,
Intendunt arcus pars sinuantq; suos.
Aspera collatis inierunt prælia signis,
Quà celer humectat Fresius arva vadis.
Acriter adversis concurrunt hostibus hostes,
Dantes crudeli vulnera sæva manu.
Pugnæ crudescunt non pauci utrinq; cadebant,
Schulonis major pars tamen icta cadit.
Multa jacent passim prostrata cadavera ferro,
Vndiq; funestæ mortis imago fuit.
Invadunt urbem multos lethoq; dedere,
Sanguine profuso quæq; platea rubet.
Victus ad extremum longo certamine Schulo
Cessit, & amisso milite terga dedit:
Nidrosiam properans paucis comitantibus ægrè,
Civibus exosus nobilibusq; redit.
Quare odisse ducem cepit Trondemica turba,
Amplius illius nolle subesse jugo.
Naves Nidrosiam tredecim transmittit Haquinus,
Armis instructas militibusq; feris.
Intrantes portum Zephyro spirante petitum,
Quas Schulo hostiles vidit ut esse rates.
Protinus ipse metu perculsus convocat omnes,
Vt sibi suppetitas auxiliumq; ferant.
Extimulans animos juvenum spolijs & opimis,
Sed pleriq; fuga consuluere sibi.
Ergo videns sese non posse resistere fugit,
In sylvam noctes mansit ibiq; duas.

Hinc

Hinc ſubit in clauſtrum veſtitus ritè cucullo,
Nec tamen hoſtili tutus ab enſe latet.
Poſtridie extractum perimunt hunc Birchebeneri,
Heu miſer inſano militis enſe cadit.
Quid memorem gnatum ſimili quem morte necarunt.
Perfidiæ pænas ſic dat uterq; ſuæ.
Vita defunctus ſuccincto à milite buſto
Mox datur, in ſumma conditus æde jacet.
Hæc cum perlatis rumoribus audit Haquinus,
Reginæ narrat jam cecidiſſe patrem.
Præmia (proh) factis nunc digna tuliſſe malorum,
Nempe ſolet pœnis invigilare DEVS.
Deinde coronatur Bergis diademate Haquinus,
Iam ſenior faſces bis tria luſtra gerens.
Poſt annos aliquot delectus Haquinus Haquini
Conceſſit fatis, indoluitq; parens,
Hinc cum nobilibus Rex & cum Præſule confert,
Vt gnato tradant ſceptra gerenda ſuo.
Te proceres ô Magne patri vt ſuccedere poſſis,
In regni ſolium patre probante legunt.
Poſthæc cum Danaum facturus prælia Rege,
Ter centum Haquinus colligit ecce rates.
Regi Chriſtophoro legatis prælia miſſis
Indicit, magnam contrahit atq; manum.
Sed pacem ſuadent regni utriuſq; ſenatus,
Regibus & bellum compoſuiſſe ſtudent.
Perſuaſi faciunt inter ſe fœdera pacis,
Componunt manibus fœdera firma datis.
Vtraq; gens læto teſtatur gaudia plauſu,
Et dat lætitiæ plurima ſigna novæ.
Denuò prædari vt novit Rex Orchadas acres,
Scotigenas: claſſem præparat ipſe ſuam.

Hos adijt dextrè ventosa per æquora vectus,
Vt depellat eos, qui populantur agros.
Inde Suderotas petijt Manorasq́ recepit,
Atq́ coëgit eos Marte subesse sibi.
Quæ confecta quidem cum fervida bella fuissent,
Corripitur morbo, duraq́ fata subit.
Hinc Bergas funus transfertur, ibiq́ sepulchro
Infertur, lachrymis plebe rigante genas.
Post mille & centum bis, tresq́ annos duodena
Lustra, inde à cunis Maxime Christe tuis.
Rex erat Haqvinus facieq́ comâquè refulgens,
Et latos humeros hunc habuisse ferunt.
Corpore robustus, linguæque volubilis usu,
Innocuis mitis, sontibus asper erat.
Integer & justus populos sine crimine rexit,
Et belli studijs asper atroxq́ fuit.
Ingenti superis struxit sublimia sumptu
Templa, quibus donat munera larga pius.
Nidrosiæ magnis extruxit sumptibus aulam,
Vicinum huic templum condidit atq́ sacrum.
Hospitibusq́ vagis extruxit publica tecta
Tonsbergæ, his victum suppeditare jubet.
Tonsbergensem arcem firmat, murisq́ locatis
Cinxit, in aëreo quæ jacet alta jugo.
Salve dive heros, gestis Rex maxime rebus,
Delebunt laudes secula nulla tuas.
Sydera dum voluit cœlum tua fama vigebit,
Et tua post cineres gloria semper erit.



JOH. SADOLINI Octasticha de Regibus Daniæ & Norvegiæ simul:

OLAUS HAQUINI Regis Norvegiæ Filius, Valdemari IV. ex Margarita filia nepos:

Hinc successit avo puer ingeniosus Olaus,
Cui mens in tenero pectore docta fuit.
Quem peperit conjunx castissima Regis Haquini,
Filia Valdemaro Margaris orta patre.
Parvus at occubuit primæ sub flore juventæ:
Spemq; novam patriæ mors inopina tulit.
Sic rosa luctifico pulcherrima sternitur austro:
Sic pereunt durâ lilia fracta manu.

MARGARITA VALDEMARI IV. Filia, eadem HAQUINI Vidua relicta, trium regnorum regina.

Margaris extincti charissima mater Olai,
Plus quàm fœmineâ prædita mente stetit.

Legibus

Legibus hæc æquis tenuit Norvegica regna,
Sumpsit & egregiâ Danica sceptra manu.
Per domuit Sueonum Regem victricibus armis,
Subjecitq; suo colla superba jugo.
Bis tria lustra trium regnorum rexit habenas,
Regali mulier clara potensq; choro.

ERICUS IX. Cognomento Pomeranus.

DUX bonus & prudens POMERANÆ gentis ERICUS,
MARGARIDOS nutu Danica sceptra tulit.
Fimbros ac Henetos domuit cimbrosq; rebelles,
Vicit & Holsatios Frisiacosq; duces.
Hic ætate gravis patrias remeavit in oras,
Ocia privatæ dulcia pacis amans.
Sic patriæ terræ trahimur dulcedine cuncti!
Nataliq; damus promptius ossa solo.

CHRISTOPHORUS Tertius, Cognominatus BAVARUS.

CHRISTOPHORUS Bavaræ Clarissima gloria terræ,
Pectore divino suspiciendus adest.
Civiles pepulit strepitus vulgiq; furorem,
Vinnilijs qua se Iutia pandit agris.

Tum demum reliquam vitam ſine lite peregit,
Daniaco dicens jura colenda throno.
O bene felicem poſito qui Marte feroci,
Dulcia divinæ munera pacis amat.

CHRISTIERNUS PRIMUS Cognomento Oldenburgicus.

QVI trahit à CHRISTI ſpecioſo germine nomen,
Sidere formoſo clarior ecce nitet.
Aggreſſus vario rigidos certamine Suecos,
Extorſit tandem debita ſceptra ſibi.
Deinde rebellantes bello petiturus eoſdem,
Plurima damna tulit, plurima damna dedit.
Illius auſpicijs Academia Danica cepit,
Hafnia quâ fulget mœnibus alta ſuis.

JOHANNIS CHRISTIERNI Filius.

FVdit JOHANNES hoſtes terraq; mariq;,
Illorum potens debilitavit opes.
Edocuit Sueones Danorum viribus actos,
Depoſito faſtu jura Deumq; ſequi.
Marte Lubecanam valido compeſcuit iram,
Protexitq; pia patria regna manu.
Ditmarijs autem redijt pulſatus ab oris,
O ſors quam tu non ſemper amica venis.

CHRI-

CHRISTIERNUS II. JOHANNIS Filius.

A CHRISTO tenuit qui nomen grande Secundus,
In rigidos Suecos arma corusca tulit
Adversus Satrapas stetit acrem pronus in iram,
Sed miseræ plebi mitior ipse fuit.
Excidit è solio regni : mox carcere tentus,
Fortunæ factum pertulit omne suæ.
Quodq; magis laudes, instructus dogmate CHRISTI
Clusit in excelsa relligione diem.

FRIDERICUS CHRISTIERNI II. Patruus.

IMperium sumsit FRIDERICUS primus avitum,
Qui veterum Regum stemmate natus erat.
Hic studio Martis præponens munia pacis,
Legibus ornavit patria regna pijs.
Tempore sed belli fuit ingeniosus in armis
Floruit, & forti strenuus usq; manu.
Hujus adhuc nati JOANNES dux & Adolphus,
Holsatiæ terræ splendida frena tenent.

CHRISTIANUS III.

FRIDERICI Fil. virtutis nomine appellatus Danorum Augustus.

TErtius à CHRISTI qui duxit nomine nomen,
Hostibus ejectis patria sceptra tulit.

 Clara

Clara statuta dedit decretaq; fulgida sanxit,
Et niveum pacis condecoravit opus.
Illius en curâ quæ Biblia sancta vocantur,
Jam translata suâ Dania voce legit.
Nobilitate sacros ornans lauroq; Poëtas,
Augustus nostri temporis alter erat.

FRIDERICUS Secundus Christiani Tertij Filius.

EN quoq; nomen habes clarum Friderice Secunde,
Nec titulos tollent sæcula longa tuos.
Ditmaricam gentem superasti fortibus armis:
Nunc majora tuo fulmine regna quatis.
Templa, scholas, urbes, arces, pelagusq; tueris,
Doctrina & pietas, te dominante, vigent.
Ergo post cineres celebris tua gloria vivet
Perpetuò, donec vesper & ortus erit.

CHRISTIANUS IV. Friderici II. Filius, Majoribus suis subjunctus, à M. Petro Bambamio Malchoviensi, P. L.

IN numeros retulit Reges GUNARIUS omnes,
Norvegiæ sceptrum qui tenuere manu.
Inquè suos numeros Reges SADOLINUS adegit,
Illam cum Daniâ qui tenuere simul.

Da

Da veniam CHRISTJANE mihi, Rex nomine Quarte,
Vatibus ad mixtus quod metra jungo tuis:
Teque tuo subjungo patri, proavisq; beatis,
Meglaburgiacâ gente Poëta satus.
Cogor amore tui: nam te quoq; sanguine nostro,
Illustriq; satu, mater honora tulit,
Excellens SOPHIE, Sophian quæ mentis acutæ,
Stemmatibus jungit consolidatq; suis.
Te bonus haud dubiè SADOLINUS ad astra tulisset,
Si vitam Regnum duxet ad usq; tuum.
GUNARII vero jam nunc taciturna Thalia,
Ruminat in laudes carmina digna tuas.
Carmina quæ luci data cernes grandior ævo,
Quum tua laus decoris brachia plura feres.
Interea pauxilla meæ Rex carmina Musæ
Consule clementi, quæso, favore boni.
Nam, licet ætatis tibi adhuc ver floreat illud
Aureolum, virtus est tua digna tamen,
Ut bene Majorum junctam virtutibus orbi
Commendent vatum Carmina laude piâ.
Regna pater tranquilla tibi, diademaq; tutum
Tradidit, hæredi primigenæq; suo:
Hæc tu pacis amans tranquilla ac tuta tueris,
Fas & jus tribuis & quando cuiq; suum.
Sic tamen, injustos ut in hostes strenuus ire
Non renuas, nec eis arma manumq; neges.
Per te conservant Aræ mysteria sacra,
Et Cathedræ puram cum Pietate Fidem.
Per te musarum suboles industria, per te
Floret Athenei docta palæstra tui.
Per te sancta Themis lances examinat æquas,
Et gladium justâ vibrat ubiq; manu.

Per te

Per te carbaſeas excarcerat Æolus auras,
Atq; ſinit tutas navibus eſſe vias.
O ſervent te fata diu cum conjuge ſalvum,
Et firment Regni ſceptra biſulca tui,
Nec niſi longævâ ſaturum Jova ſenectâ,
Transferat ad Regni ſceptra beata ſui.

Megavilimæ f. A. C. M. DC. VI.
XIV. Januarij.

FINIS.



ROSTOCHII
Ex Typographiâ Stephani Myliandri
ANNO
M. DC. VI.

Am

